Polon. 7.
Lit. J.
N: 52.

4° Polem.
736

IN EPISTOLAM ENCYCLICAM BENEDICTI XIV. ADVERSUS USURAM COMMENTARIUS

QUO ILLUSTRATA DOCTRINA CATHOLICA

NICOLAI BROEDERSEN

AC ALIORUM ERRORES REFELLUNTUR

AUTHORE

FR. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRÆDICATORUM.



ROMÆ, MDCCXLVI.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS.
APUD NICOLAUM, ET MARCUM PALEARINOS.
SUPERIORUM FACULTATE.

ROMÆ MDCCXLVI

IN DOMINE CONFIDO

NICOLAUS BRODERSEN

CIVIS ILLUSTRATI POLONIAE CATHOLICAE

BIBLIOTEKA
KLASZTORU

REMEDIUM VITÆ

IN CHRISTO

IN EPISTOLAM ENCYCLICAM BENEDICTI XIV.

ADVERSUS USURAM

COMMENTARIUS.

Mutuum date, nihil inde ſperantes.
Luc. 6. 35.

Conſtans Conciliorum Traditio, ab antiquioribus arceſita, illa Pontificum Romanorum, Patrum, Interpretum, Eccleſiæque Romanæ eſt, hunc verſiculum explicandum eſſe, ut prohibentem lucrum, quod percipitur ex mutuo, INDE, *hoc eſt ex uſura. Huic Traditioni Auctor* (Simonius) *prætulit Grotii doctrinam, unde ſuam conflavit notationem, quæ eo conſilio facta eſt, ut hanc prohibitionem eluderet, utque Eccleſiæ unum hunc Novi Teſtamenti locum eriperet, in quo uſuræ crimen prohibetur. Cenſor ille* (Grotius) *non magis, quam hic noſter,* (Simonius) *neque Patrem ullum dicti ſui teſtem appellat, neque ullum Scriptorem Catholicum. Quidquid horum eſt, illi eſt adverſarium. Uno ſuo ille nititur ratiocinio, interpretationis Scripturarum vade malo. Rejicienda igitur eſt in hunc verſiculum adnotatio, atque eodem modo delenda eſt vox,* Deſperantes, *quæ perinde, ut idem Auctor fatetur, repugnat ſeriei orationis, neque ullius eſt uſus, niſi ut ſenſum hujuſce loci implicet, reddatque obſcurum. Nimium hæc pars Moralis Chriſtianæ vitiata eſt, & uſura latius graſſatur, quin ſit opus eam in Novum Teſtamentum adnotationibus confirmare, quæ omnium manibus terantur.* BOSSUETUS in 2. Paſtor. gallice ſcripta in Verſion. N. T. Rich. Simon.

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO.

F. Daniel Concina Ord. Præd.

FELICITATEM.

Ivino plane consilio destinatum, effectumque est, BENEDICTE MAXIME, ut Te clavum Catholicæ Ecclesiæ tenente, qui quanto dignitate, & imperio, tanto sapientia, eruditione, facundia, & incredibili dicendi perspicuitate omnibus antecellis, gravissima de fœnore controversia efferveſceret, acriterque in utramque disputaretur partem. Tanto enimvero PONTIFICE, tamque sapiente Judice opus erat, ut impeditissimæ, unaque gravissimæ controversiæ finis imponeretur. Jam a duobus circiter sæculis Hæresiarcha Calvinus, Carolus Molinæus, cæterique Transalpini hæretici catholicum adversus usuram Dogma adulterare, corrumpere, & labefactare cœperunt, duplicem comminiscentes usuram: nimiam unam, opprimentem, mordentemque pauperes: moderatam quæstuosamque alteram, quæ commercia, & mercaturam promoveat. Illam,

non item iſtam reprobatam a divina lege contendebant. Romanæ vero Communionis Theologi omnes adeo ſtrenue pugnarunt adverſus novam opinandi rationem, ut erroneæ doctrinæ virus per integrum, & amplius ſæculum, Catholicorum neminem inficere potuerit. Ex quo factum eſt, ut hæc Romana Sedes ad hæc uſque tempora nullam adverſus hunc errorem rogaverit legem, Conſtitutionem, aut decretum: quandoquidem nullo morbo hac in parte Sponſa TUA laborante, nullo opus erat remedio. Verum a medio circiter ſæculo deſertores quidam Janſeniſtæ ſub ementita Catholicæ Religionis larva Calvini, & Molinæi doctrinam variis fucis illitam adoptare, mediaque in luce defendere aggreſſi ſunt. Senſim hæretica doctrina venuſtis obducta formis nonnullos parum cautos hebetavit Catholicos, qui pro eadem arma capere non dubitarunt. Tanto vero exarſit fervore literaria controverſia, ut tandem ad ſupremum TUUM Apoſtolicum Tribunal judicanda delata fuerit. TU autem pro ea, qua in Cathedræ Tuæ regimine ornatus prudentia es, continuo Purpuratorum Patrum, Prælatis, & Theologis adiectis, Collegium inſtituiſti, qui ſemoto partium ſtudio, graviſſimam cauſam pro dignitate examinarent, ſententias ſuas ſcripto exaratas exhiberent, & voce TE coram exponerent.

Quis vero dicere, nedum ſtilo exornare ſufficiat, quanta Tu, votis omnium Conſultorum expenſis, doctrinarum copia ſingula capita firmaveris; quantam cuique diſcuſſo articulo eruditionis lucem adjeceris? Illud vero ſatis nos admirari non potuimus, vixque apud poſteros fidem inveniet, quod Tu, quamvis immenſa Apoſtolicarum ſolicitudinum multitudine hoc turbulentiſſimo tempore circumdatus, tamen, quaſi hoc unum negotium ageres, non aliquem magni nominis Auctorem, qui hoc tractaverit argumentum, ſine attenta lectione præteriiſti; non Codices, non acta agitatæ olim ſub Anteceſſoribus controverſiæ indaginem, ſtudiumque TUUM effugere potuerunt. Quæ hiſce oculis vidi, quæ hiſce auribus audivi, ea ſane prædico. Ubi vero Purpuratorum Patrum vota plane intellexiſti, atque enucleatam

tam pro dignitate cauſam judicaſti; tum IPSE SOLUS, ut Pontificem Summum, unaque Doctiſſimum decet, eam denuo recognoſcere, & puncta quæque, imo & apices ipſos ad ſeveriorem criticen exigere, profundiuſque, divino implorato lumine, meditari perrexiſti, ut nihil eorum, quæ humana poſtulat induſtria, prætermitteres.

Studia vero TUA atque conata, BEATISSIME PATER, Deus ipſe perfecit, eam TIBI implicatiſſimæ controverſiæ dirimendæ, ſententiæque rogandæ formam, rationemque ſingulari afflatu inſpirando, quæ non quid credendum modo, verum etiam quid agendum præmonſtraret. Primum omnium genuinas mutuationis, & fœnoris notiones præſtituiſti, occluſo cavillis aditu. Succedit definitum dogma, a duobus fere ſæculis in diſcrimen adductum: videlicet omnem uſuram cum parvam, tum magnam, cum a pauperibus, tum a divitibus exactam, vetitam a Deo eſſe. Quod ad alterum agendorum punctum attinet, verba illa altius omnium, qui interfuimus, animis infixa patefaciam oportet, quibus TU in ultima ſuper hoc argumento habita conſultatione ſermoni Tuo eloquentiæ, doctrinæque pleniſſimo finem impoſuiſti. *Quid? definito dogmate, proviſum ne ſat erit Eccleſiæ? Regendæ contractuum æqualitati conſulendum eſt.* Quod delapſum e cœlo oraculum boni omnes interpetrabantur. Quid prodeſſet dogma definiri Catholicum, illudque voce confiteri, ſi interea uſuræ flagitium non minus in Catholicorum, quam in hæreticorum mutuationibus ſerperet, hac ſola adiecta verborum diverſitate, quod iſti uſuram moderatam appellant, quam illi honeſtum lucrum nominant: Vocem ne, non item rem ipſam prohibet divinum mandatum? Quid refert varios vitio obducere colores, illudque ſplendido titulorum apparatu ad genium confecto exornare? Hiſne fallaciis Deus ludi-tur, aut verborum circuitione ſcelera declinantur? Quid intereſt hoc, aut illo principio, hac, aut illa via fœnus propugnare, quando utriuſque partis molimina, oppoſitis licet cuniculis, eo tandem ſpectant, & recidunt, ut quæſtibus injuſtis cupiditas ſaturetur? Quin gravius illi peccare viden-

videntur, qui, cognito dogmate, compertoque mandato; illud violant, verſutiiſque deludunt, quam, qui falſa præventi intelligentia, illud omnino extare inficiantur.

Hæc Tu, PONTIFEX OPTIME, ſerio perpendens, poſt collocatum in tuto dogma, vana quoque commenta, quibus illud circumvenire non pauci ſolent, penitus profligaſti. Contractus, unde profecta diſputatio eſt, quam prudentiſſime præteriiſti, quod plura ad rectum ferendum judicium neceſſaria deeſſent. Nullam quoque ſingillatim propoſitionem earum, quæ commentitium dogma efficiunt, confixiſti. Aliæ quippe in mutui natura inſitos, atque innatos honeſti lucri titulos comminiſcuntur: aliæ contractus innominatos, ſolaque animi intentione conceptos effingunt: aliæ cenſus utrinque redimibiles; aliæ prævalentis conſuetudinis vim, aut altum Principum Dominium obtrudunt. Quæ opinationes ſi conſiſterent, fictitium revera dogma, vanum præceptum, veraque forent hæreticorum probra in catholicos, qui omnem, atque adeo vel minimam uſuram voce deteſtantes, reipſa uſuram quamlibet, & a quibuſvis exactam lepidis commentis, feſtiviſque titulis verſute propugnant. Ut ſingulæ opiniones iſtæ proſcriberentur, excerpendæ ex libris fuiſſent, eorum, quæ & antecedunt, & conſequuntur, ratione habita: longiore diſcutiendæ examine: accommodandæ ſingulis cenſuræ propriæ. Quæ omnia inducias, & obſtacula plurima peperiſſent, omnemque eventum aut retardaſſent, aut penitus impediviſſent. Interea ſerpebat erroneæ doctrinæ virus, inſtabant pejora mala, præſentaneumque poſtulabat remedium periclitantium Fidelium ſalus.

Quam Tu autem, PONTIFEX BEATISSIME, in tanto rerum diſcrimine poſitus arripuiſti viam, ut his omnibus occurreres malis, Gregemque ſolicitudini Tuæ commiſſum ab erroribus eriperes, ſalubri doctrina paſceres, inſtructione erigeres? Optimam plane, atque oſtenſam TIBI divinitus. Eas quippe conſtituiſti univerſales, ineluctabileſque regulas, quæ definitum dogma firmant, quæ præceptum cum juſta executione conſociant, quæque non unam, aut alteram

ram, sed omnes prorsus recensitas opiniones æquo laxiores necessaria consecutione penitus labefactant; quemadmodum in hoc meo qualicumque Commentariolo, luculenter, ut spero, demonstrabo. Siquidem ut pecunia, quæ suapte natura sterilis est, fœcunda evadat, contractus a mutui natura, non voce tenus, ut scituli quidam contendunt, sed re *prorsus diversos* ineundos præscribis. Titulos mutuatitiæ pecuniæ *innatos* reijcis. Claudendas aures *ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur*, admones: illos tandem, qui docent semper adesse vel legitimos titulos, vel contractus *justos, quorum præsidio quotiescumque pecunia altericumque creditur, liceat moderatum quæstum, salva sorte, recipere*, non modo divinis literis, & Ecclesiæ judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, & naturali rationi proculdubio adversari, decernis, atque declaras. Quibus sane principiis a Te sapientissime præjactis, in hac Tua Decretali Epistola confirmatur definitum dogma; justæ mercaturæ moderandæ norma patet: evanescunt captiunculæ eorum, qui languere meliores artes, jacere mercaturam, interire commercia, sublata usura moderata, mussitabant: cum potius florere commercia, promoveri publicum commodum, instaurari artes, divitiis, & prosperitate Civitates, & regna affluere videamus, si fœnore, & iniustitia pulsis, rite omnia *ad justitiæ libram exigantur*. Tandem sponte corruunt, & necessario in nihilum occidunt laxioris ethices opiniones, calumniantium hæreticorum ora obstructa remanent; provisumque hac tua celeberrima decretali tum credendis, tum agendis agnoscunt docti, bonique omnes.

In hac tua, quam delineavi, gravissimi negotii procuratione, alii admirabuntur sapientiam; prudentiam alii: illi laborem studiumque indefessum: isti mentis magnitudinem: illi incredibilem rei gerendæ dexteritatem: isti ingenii penetrationem. Verum enim vero quæ me, BENEDICTE MAXIME, ex tot tuis virtutibus admirabundum tenet, illa est inusitata, atque inaudita clementia, qua, confixis erro-

ribus,

ribus, ſalvos voluiſti eorumdem authores. Nec dubito, quin mecum omnes hanc TUAM virtutem, qua una propius ad Deum, cujus hic in terris vices ſuſtines, accedis, admiraturi ſint, ſi finem ſecum animo reputaverint, quem TU ob oculos habuiſti. Quorſum enim hæc tanta animi tui lenitas, ac benignitas? Eo ſane, ut errantes non coacte, ſed ſponte; non vi, ſed amore victi patefactæ veritatis ſemitam ingrediantur: ut illi ipſi, divina doctrina cognita, ſuos damnent errores, libroſque retractent. Sola pertinacia pœnarum ſeveritate frangenda eſt. Contra bona fide, innocenterque errantes ſolius veritatis oſtenſione lucrandi, ut ſit cum ingenti fœnore duplicata victoria. Hæc undique ſecurior via eſt, & obſiſtendi erroribus, & indipiſcendi devios. Quod ſi tantæ Clementiæ opportunus non reſponderet eventus, erroneaque doctrina faſces ſubmittere recuſaret, aut nova deludere arte veritatem auderet, ſeveriori Conſtitutioni ſemper pateret aditus. Tum vero univerſus terrarum orbis intelligeret, a TE in ſuprema conſtituto poteſtate fœderatam cum veritate manſuetudinem, Clementiam, rerumque omnium modum proficiſci: ab illis autem, qui ſincere reſipiſcere, ſuoſque dedocere errores nollent, ſeveritatem & proſcriptiones; dicerentque omnes, TE cæteroquin indole, atque ingenio TUO miſericordem, ſeverum ab illis effectum eſſe. Singula, quæ hactenus levi manu perſtrinxi capita, in hoc Commentario pro dignitate tractabo.

Hæc ſunt, PATER BEATISSIME, quæ mirum in modum confirmant non modo, quod initio dixi, Divina nempe Providentia factum eſſe, ut TE SAPIENTISSIMO PONTIFICE Regnante, momentoſa, aleæque pleniſſima controverſia de uſura excitaretur, ut pleno in lumine collocata, damnata tandem ex Sedis Apoſtolicæ Decreto de duplici quæſtuoſo fœnore doctrina jaceret, juſtæque negotiationis regulæ deſignarentur: verum etiam ea probant, quæ in alterius operis dedicatoria epiſtola ad TE data, indicavi. Dixeram ibi, TE in hac Orbis principe urbe ideo a ſupremo Numine diſciplinis excultum, omnique ſcientiarum genere exor-

exornatum in Pontificem ſummum delectum eſſe, ut inter alia, quæ jam præſtitiſti, atque in dies præſtas facinora luculentiſſima, æternaque memoria digna, divinam potiſſimum Theologiam tanta opinionum perverſitate deformatam ad priſtinum, nativumque nitorem revocares. Magna utique iſtius pars jam inde ab initio Pontificatus TUI refloruit. Et ut pauca univerſim delibem, tractatus de fœnore hac tua inſigni DECRETALI pleno in lumine conſtitus eſt. Sacrarum imaginum argumento ingentem adjecit lucem TUA ad Epiſcopum Auguſtanum epiſtola, eruditione, & doctrina refertiſſima. Jejuniorum diſciplina, tribus TUIS editis hac de re monumentis inſtaurata conſpicitur. Orientalium Indiarum Religio a ſuperſtitioſa pravitate purgata reſplendet. Sacramentorum adminiſtratio, incruenti ſacrificii ſanctitas, Matrimonii indiſſolubilitas, Epiſcoporum reſidentia, Miniſtrorum electiones, Chriſtianæ doctrinæ tradendæ ratio maximum ſuſceperunt incrementum. Quid, ſi ea recordari vellem, quæ pro Græcorum Romanæ Communionis moribus formandis: quæ pro Patriarcha Maronitarum in Romano fœdere confirmando edidiſti? Ne multa. Tanta in hoc uno inſtauratæ Theologiæ genere a TE præſtita jam ſunt, ut plures illuſtrare Pontificatus poſſent. Ac perinde quaſi his omnibus a TE feliciter abſolutiſſimeque peractis parum adhuc Pontificatui TUO luminis acceſſiſſet, atque ornamenti, eum præterea illuſtraſti quammaxime nuperis hiſce diebus, quibus non ſolum TE in Sanctorum album quinque DEI SERVOS vidimus referentem: ſed audivimus quoque in Sacroſancta SS. Petri, & Pauli Baſilica Miſſarum inter ſolemnia elata gravique voce laudantem, dum celebri illa TUA HOMILIA, majeſtatem ſapientiamque Sanctorum Patrum omnino præſeferente, eoſdem coram univerſa hac Urbe, ingentique advenarum frequentia honore proſequereris. At TIBI BENEDICTE MAXIME, pauca iſta ſunt. Grandis adhuc TIBI via reſtat, majoraque TE facinora manent. Triginta ſupra CCC. propoſitiones, quas, curante piæ memoriæ Cardinali Beluga, Archiepiſcopi Hiſpaniarum proſcribendas ſupremo TUO judicio ſubjece-

jecerunt; ducentæque aliæ aliunde ad TE datæ tuam expectant cenſuram, qua a Chriſtiana Theologia exterminentur.

Erunt, nullus dubito, qui dicturi ſint, me nimio ſtudio ſolius Chriſtianæ ethices inſtaurationem apud TE urgere, ac ſi hoc unicum Apoſtolicæ Sedis negotium eſſet. Quibus repono; ſin minus hoc unicum, potiſſimum tamen, omniumque maximum eſſe, nemo, niſi divinarum literarum ignorans inficias ire poterit. Hoc quippe depoſitum illud eſt, quod Fidei, vigilantiæque TUÆ concredidit Deus. Faceſſant ergo, PATER BEATISSIME, vana, atque inepta cogitata, quæ ſuggerit carnis prudentia. Hæc, quoties exterminandus error eſt, aſſerendaque Chriſtiana doctrina, continuo exquiſita verſutia funeſta portendit eventa, & cieri turbas auribus inſuſurrat: Faceſſant, inquam, hæc ſubdola, & leviſſima artificia, Deo ipſo clamante „ Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo „. Cathedra hæc TUA, PATER SANCTISSIME, veritate parta, veritate hanc Sion arcem occupavit; veritate decem, & octo ſæculis ſtetit, æternumque veritate ſtabit. Veritas hæc Divina eſt, quæ prudentiam ſcilicet divinam ſibi ſociam aſciſcit, faſtiditque mundanam: quæ aſtus humanæ mentis, & captiunculas ſpernit. Quo ſincerior, quo ſplendidior veritas hæc ab iſta Petri Cathedra prodierit, eo populi, Principes, Reges, omneſque tum Catholici, tum hæretici demiſſiori obſequio hanc ſanctiſſimam ſedem, ut compertum experientia eſt, ſuſpicient, colentque. Perge porro, BEATISSIME PATER, & quo cæpiſti pede progredere. Fortitudinis ſpiritum inſtaura, Deique armaturam indue, ut quæ alta tua concepiſti mente, valeas ad Dei gloriam, Eccleſiæ commodum, & immortalem tui Nominis celebritatem in lucem emittere. Tertium hoc Commentarium eſt, quod in tria ex innumeris Pontificiis tuis monumentis edidi. Sed plura me editurum in poſterum ſpero, ſi ea, qua ſoles, clementia, & benignitate ſuſceperis hoc, quod, poſt Sanctorum Pedum oſcula, nunc BEATITUDINI TUÆ profunda veneratione dedico, & conſecro.

AD

AD LECTOREM.

COmmentarium iſtud non partium ſtudium, ſed veritatis amor peperit, immo graviſſimæ defendendæ cauſæ neceſſitas me ad illud edendum coegit. De duobus breviſſime mihi præfandum. Et ut a primo initium capiam, ſimul ac in lucem prodiit BENEDICTI XIV. *celebris adverſus uſuram* Decretalis Epiſtola *muſſitari cœptum, nihil in ea definitum, declaratumque nihil. Vetuſta hæc effugia ſunt; & illis, qui opinationibus ſemel imbutis pugnaciſſime adhæreſcunt, uſitata, atque familiaria artificia. Nihil definiviſſe* SIXTUM V. *adverſus trinum contractum: Nihil* S. PIUM V. *adverſus cenſus perſonales: aut non acceptas iſtorum Conſtitutiones imperitorum auribus inſuſurrabant olim mollioris Diſciplinæ patroni. Mirandum ne, ſi eaſdem, aut ſimiles modo renovari cavillationes, eaſdem repeti technas, & fallacias inaudiamus? Verum enim vero ulterius progreſſa res eſt. Per Italiam circumferuntur calamo exaratæ Apologiæ, in quibus vel ipſos manifeſtos errores approbatos eſſe in Decretali Pontificia Epiſtola intrepide aſſeritur? Non itaque miranda ſunt hæc; ſed potius illorum miſereamur oportet, qui tantas ſerere impoſturas, non erubeſcunt; & ſeductioni, errandique periculo ſubducendi imperiti ſunt. Sex Doctrinæ capita conſtituit, totidemque errores damnat Pontifex Summus. Primum fœnoris peccatum in mutuationis offi-*

cio ſedem habere declarat. Deinde adverſus hæreticum Calvini, Molinæi, Salmaſii, Broederſen, *& Aſſeclarum inventum, definit, uſuram quamlibet, ſive modicam, ſive nimiam, & a quocumque exactam, vetitam a Deo eſſe. Præterea titulos mutuo innatos rejicit; probat vero extrinſecus advenientes, ſicut, & contractus, qui ſint a natura mutui prorſus diverſi. Tum illos Divinis literis, & communi ſenſui ſe ſe opponere declarat, qui ſemper cum mutuo aut titulos, aut contractus occurrere docent, qui ſint juſti lucri cauſa ſufficiens. Quinto loco admonet, claudendas illis aures eſſe, qui graviſſimum uſurarum argumentum ad quæſtionem de ſolo nomine revocant. Poſtremum exprimendas clare, diſtincteque celebrandorum contractuum formas, & pactiones præſcribit ad conſcientiæ tranquillitatem, Fori exterioris ſecuritatem, & implicitorum contractuum improbationem. Heinc neceſſario conſequitur confixos jacere oppoſitos errores.*

Vera hæc ſint, opponent multi: At quis te Pontificiæ EPISTOLÆ *interpretem conſtituit? Quid tibi adverſariorum numerum in dies accumulas? Quid invidentiæ materiam tibi creas, atque adauges? An non ſatis tibi hactenus odii comparaſti? Quid tuam, alienamque pacem turbas? Ubi prudentia? ubi cautio? ubi judicii maturitas? Sine quæſo tandem aliquando* Mundum vadere, ſicut vadit. *Hoc eſt alterum præfandi caput adverſus iſtos carnalis prudentiæ Magiſtros, qui dum talia opponunt, prima Evangelii principia ſe ſe turpiter ignorare pateſaciunt. Unicuique Deus mandavit de proximo ſuo. Confitendæ, aſſerendæque veritatis graviſſimum mandatum, unumquemque aſtringit Evangelii profeſſorem, prout cujuſque conditio fert. Audiant Politici argutatores, ſophiſtæque leviculi inter cæteros Patres, Sanctum Juſtinum Martyrem. Hic, ejurata ſuperſtitione, iſtius potiſſimum mandati vinculo ſe aſtrictum ſenſit. Hæc enim ſcribit in Dialog. cum Triph. num.* 82. Quippe cum perſpectum habeamus, quicumque verum poſſit dicere, nec dicat, eum a Deo judicatum iri, quemadmodum Deus per Ezechielem teſtatus eſt his verbis: „ *Spectatorem dedi te Domui Iſrael, & audies de ore meo* „ *verbum, & annutiabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte* „ *morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via ſua impia, & vivat: ipſe impius in impietate ſua morietur. Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* „

Sancti

Sancti semper fuerunt istius Divini mandati observatores. Ipse Isaias silentii sui lamentabatur. Veh mihi quia tacui. *Non occurrit in literis Sanctis, Deum veros Prophetas increpasse, quod nimio ardore legem patefecerint: sed frequentissime falsos increpitos, punitosque legimus, ob legem aut occultatam, aut sucis illitam, extenuatamque. Sic enim per Isaiam Deus loquitur:* Speculatores ejus cœci, omnes, nescierunt universi: Canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia: Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam. cap. 56. *Similia leguntur in cæteris Prophetis. In Evangelio passim Christus inculcat:* Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam eum coram Patre meo. *Quorsum hæc? Ut indicarem falsos reperiri in Christiana Ecclesia Doctores, quemadmodum falsis abundavit Prophetis Ecclesia Judæorum, subdit Martyr Justinus in Dialog. num.* 82. Quemadmodum autem apud vos cum Sancti essent Prophetæ, falsi quoque extiterunt: ita & nunc ejusmodi homines, & falsi Doctores apud nos versantur, quos, ut caveremus, præmonuit nos Dominus noster. *Quantum verò in præsentiarum falsis abundet Ecclesia Catholica Magistris, qui aut liniunt parietes absque paleis, quique benigna, & suavia semper pollicentur, aut æquo severiora jactant, & inculcant, aliorum esto judicium.* Nostrum igitur (*pergit S. Justinus Apolog.* 1. *num.* 3.) munus est, ut vitæ, & doctrinæ nostræ inspiciendæ copiam omnibus faciamus, ne pro iis, qui res nostras sibi videntur ignorare, pœnam eorum, quæ cœcutientes peccaverint, ipsi debeamus.

Ab hoc autem manifestandæ veritatis proposito, non Mundi timor, non hominum respectus, non plausus desiderium, non persecutionum timor me dimovebit: quin si lacerandum me in partes a vobis scirem, non propterea ab implendo manifestandæ veritatis præcepto desisterem, concludit S. Justinus in Dialog. num. 120. Atque hæc quidem dixi, quia ita sum affectus animo, ut nihil prorsus dixerim, in quo aliud curem, quam ut verum dicam, neminem reveriturus, etiam si e vestigio discerpi a vobis oporteat.

Hi sunt Prophetarum, & Ecclesiæ Doctorum sermones: hæc virorum

rorum Dei consilia, & principia. Quid ad hæc hujus sæculi prudentes, qui rationibus humanis omnia metiuntur? Reponent ne pro fidei articulis Sanctos Martyres pugnasse, non item pro morum legibus? Ineptior hæc responsio foret. Eadem quippe est utriusque Doctrinæ necessitas, ut portum salutis teneamus. Noli ergo, cur scripserim, quærere: sed quæ scripsi expendito. Unum a te peto, efflagitoque, ut nonnulla calamo properante repetita ignoscas? Si plus otii fuisset, brevius, politiusque opus prodiret. Vale.



SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XIV.

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos & Ordinarios Italiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VIX pervenit ad aures noſtras, ob novam controverſiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonullas per Italiam diſſeminari ſententias, quæ ſanæ doctrinæ haud conſentaneæ viderentur; cum ſtatim noſtri Apoſtolici muneris partem eſſe duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejuſmodi, temporis diuturnitate, ac ſilentio, vires magis acquireret; aditumque ipſi intercludere, ne latius ſerperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, conſiliumque ſuſcepimus, quo Sedes Apoſtolica ſemper uti conſuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ ſcientia, & Canonicæ Diſciplinæ ſtudio, ac peritia plurimum commendantur: Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate

tate præſtantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus ſelegimus; Præſulem quoque Juris utriuſque laurea præditum, & in Foro diu verſatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perſpectumque deprehendimus.

Poſt hæc præcepimus, ut omni partium ſtudio, omnique cupiditate ſoluti, rem totam accurate perpenderent, ſuaſque opiniones ſcripto exararent; non tamen expetivimus ab ipſis, ut judicium ferrent de contractu, qui controverſiæ cauſam initio præbuerat, cum plura documenta non ſuppeterent, quæ neceſſario ad id requirebantur; Sed ut certam de Uſuris doctrinam conſtituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus ſpargi cœperunt: Juſſa fecerunt univerſi; nam ſuas ſententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita eſt die 18. Julii, altera vero die prima Auguſti, qui menſes nuper elapſi ſunt; ac demum eaſdem ſententias Congregationis Secretario ſcriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi conſenſu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantundem duntaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum; ideoque ultra ſortem, lucrum aliquod, ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

II. Neque vero ad iſtam labem purgandam, ullum arceſſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat; nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agi-

tandis

tandis negotiis, utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati atque redditi æqualitate verſatur, agere ille concincitur, quiſquis, eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur: proindeque ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt, in humanis contractibus æqualitatem cujuſque propriam & ſancte ſervare, & non ſervatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos & intrinſecos, forte concurrere, ex quibus juſta omnino legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari & impendi, ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejuſmodi diverſis contractuum generibus, ſi ſua cujuſque non ſervatur æqualitas, quidquid plus juſto recipitur, ſi minus ad uſuram, (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum abſit), at certe ad aliam veram injuſtitiam, reſtituendi onus pariter afferentem, ſpectare compertum eſt; Ita ſi rite omnia peragantur, & ad Juſtitiæ libram exigantur, dubitandum non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus modus & ratio ſuppetat humana commercia, & fructuoſam ipſam negotiationem ad publicum commodum conſervandi, ac frequentandi. Abſit enim a Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias florere poſſe lucroſa commercia exiſtiment; cum contra ex ipſo Oraculo Divino diſcamus, quod *Juſtitia* [a] *elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum*.

V. Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi, quem-

a Prov. 14. 34.

quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper ac præſto ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios juſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram ſalvamque, recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo Divinis Documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de Uſura judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali rationi procul dubio adverſabitur. Neminem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo, ſimplici ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto Domino edocente: *Volenti* [a] *mutuari a te, ne avertaris*, & quod ſimiliter multis in circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, juſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo juſtus alius titulus; vere ne juſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers & immune reddatur.

His verbis complectuntur, & explicant Sententias ſuas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritiſſimi, quorum conſilium in hoc graviſſimo negotio poſtulavimus; Nos quoque privatum ſtudium noſtrum conferre in eandem cauſam non prætermiſimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipſis etiam peractis; Nam præſtantium Virorum Suffragia, quæ modo commemoravimus, diligentiſſime percurrimus. Cum hæc ita ſint, adprobamus, & confirmamus quæcunque in Sententiis ſuperius expoſitis continentur; Cum Scriptores plane omnes, Theologiæ, & Canonum Profeſſores, plura Sacrarum Literarum teſtimonia, Pontificum Deceſſorum noſtrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad eaſdem Sententias comprobandas pene conſpirare videantur. Inſuper apertiſſime cognovimus Auctores, quibus contrariæ Sententiæ referri debent; Et eos pariter,

---

a Matth. 5. 42.

ter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis anſam, ſeu occaſionem præbere videntur; Neque ignoramus, quanta Sapientia, & gravitate defenſionem veritatis ſuſceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controverſiæ ejuſmodi principium habuerunt. Quare has Literas Encyclicas dedimus univerſis Italiæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omnibus innoteſcerent; & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque ſacris doctrinis inſtruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis Sententiis, quas ſuperius recenſuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem ſollicitudinem impendere, ne quis in veſtris Diœceſibus audeat Literis, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & ſubjectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contempſerint ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controverſias excitavit, nihil in præſentia ſtatuimus; Nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diverſas abeunt Sententias; Attamen pietatis veſtræ Studium ac Religionem inflammandam exiſtimamus, ut hæc, quæ ſubjicimus, executioni demandetis.

Primum graviſſimis verbis Populis veſtris oſtendite, uſuræ labem ac vitium a Divinis Literis vehementer improbari; Illud quidem varias formas atque ſpecies induere, ut Fideles Chriſti Sanguine reſtitutos in libertatem & gratiam, rurſus in extremam ruinam præcipites impellat; Quocirca ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, ſed potius ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria ſupra cæteros efferuntur, conſilium expoſcant.

Secundo loco, qui viribus ſuis, ac ſapientiæ ita confidunt, ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum ſcientiam requirunt;) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant: Etenim aliqui tanta ſeveritate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam accuſent, tan-

quam illicitam, & cum uſura conjunctam; Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remiſſique ſunt, ut quodcunque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; Deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod ſi diſputatio inſurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam Sententiam ſequuntur, neque illam gravibus Cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim ratione, & præſtantium Virorum teſtimoniis minime careat; Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Chriſtianæ charitatis infringunt, & graviſſimam Populo offenſionem, & ſcandalum præſeferunt.

Tertio loco, qui ab omni uſuræ labe ſe immunes, & integros præſtare volunt, ſuamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum ſolummodo percipiant, admonendi ſunt, ut contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inſerendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent: Hæc magnopere conferunt non modo ad animi ſollicitudinem & ſcrupulos evitandos, ſed ad ipſum contractum in Foro externo comprobandum: Hæc etiam aditum intercludunt diſputationibus, quæ non ſemel concitandæ ſunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri eſſe videtur, revera tamen palliatam uſuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum Sermonibus, qui dictitant, de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falſum id ſit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, ſi perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorſus diverſam & ſejunctam eſſe; Et ea pariter diſcrepare magnopere inter ſe, quæ a diverſis inter ſe contractibus conſequuntur. Revera diſcrimen apertiſſimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia deſumitur, ideoque poteſt in utroque Foro retineri;

Ac

Ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriuſque judicio reſtituendus decernitur. Conſtat igitur haud inanem de uſuris quæſtionem hoc tempore proponi ob eam cauſam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potiſſimum vobis indicanda cenſuimus, ſperantes fore, ut mandetis executioni quæcunque per has Literas a Nobis perſcribuntur: Opportunis quoque remediis conſuletis, uti confidimus, ſi forte ob hanc novam de uſuris controverſiam in Dioeceſi veſtra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum ſanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur: Poſtremo vobis, & Gregi curæ veſtræ concredito, Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die prima Novembris MDCCXLV. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

NOS F. THOMAS RIPOLL

Sac. Theologiæ Profeſſor, ac totius Ord. Præd. humilis Mag. Gen., & Servus.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate officii, facultatem, quantum in Nobis eſt, concedimus tibi R. P. Lectori Fr. Danieli Concina, Congregationis Noſtræ Beati Jacobi Salomonii Venetiarum, ut poſſis Typis mandare Opus, cui titulus eſt: *In Epiſtolam Encyclicam* BENEDICTI XIV. *adverſus Uſuram Commentarius &c.* a te compoſitum, & de mandato noſtro reviſum, & approbatum a duobus Theologis Ordinis Noſtri R. A. P. Magiſtro Fr. Antonino Bremond, Provinciali Daciæ, Theologo Caſanatenſi, ac Socio Noſtro, & R. A. P. Magiſtro Fr. Auguſtino Thoma Richini, ſimiliter Theologo Caſanatenſi, & Noſtro Socio, ſervatis de jure ſervandis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Non obſtantibus &c. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Noſtro Conventu Sanctæ Mariæ Sup. Min. die 17. Julii 1746.

Fr. THOMAS RIPOLL

Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 8.

Fr. Joſeph Muñoz Mag. Provinc. Terræ Sanctæ, & Socius.

APPRO-

APPROBATIO
THEOLOGORUM ORDINIS.

MUlta quidem ſapienter dixit prudentiſſimus ille ſenex, de quo Marcus Tullius Cicero ſcribit ad Quintum Fratrem: *Plus unus Cato fuerit, quam omnes leges, omneſque Judices* (*a*). Verum nihil ſapientius unquam protulit Cato (*b*) quam cum rogatus diceret, quid in Republica ſit *fœnerari*? Ut ſceleris immanitatem declararet, unum rogavit ipſe. *Quid hominem*, inquit, *occidere*? Qua de re laudatur hæc altera digna Catone ſententia (*c*). *Majores noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt, furem dupli condemnare, fœneratorem quadrupli oportere. Quanto pejorem civem exiſtimaverint fœneratorem, quam furem, hinc licet exiſtimare.* Et illud vetus fœnebre malum, *quo*, ut ait S. Ambroſius, (*d*) *populi ſæpe conciderunt*, cum ubique *publici exitii* creberrima cauſa exiſteret, ubique paſſim graviſſimis decretis coercitum. Quas ea de re ſæpius tulit Eccleſia ſaluberrimas leges, quibus uſura vetita, nemo unus ignorat. Omnibus etiam compertum, & exploratum, quam frequenter obviam itum variis illis fraudibus, quibus quaſi quibuſdam velis ac inſidioſis involucris tegere conabantur uſurarum nequitiam. At quod, toties repreſſæ, miras per artes rurſum oriri non ita pridem tentaverint uſurariæ fraudes, eo diligentius retundenda erant improba fœneratorum tela, quo difficilius videbatur, ut inter ipſa Viri Catholici diu verſarentur incolumes. Scilicet impius grex *Janſeniſtarum* cum *Calviniano* jam conſpiraverat ad Catholicorum perniciem, & ex iſtis incautos reperire erat, quibus venenata tela in deliciis habebantur. Quæ cum ita eſſent, provide factum, ut perniciosos errores, quibus *Janſeniſtæ*, & *Calviniani* Catholicos implicare jam nitebantur, omni mora ſepoſita, damnaret Apoſtolica Sedes, ne latius in dies id genus deliramenta diffunderentur. Hinc jure ac merito gratulantur ſibi Viri Catholici, quod præ oculis habeant Encyclicam Summi Pontificis Epiſtolam, diligentia, eru-

(*a*) M. Tullius lib. 2. Epiſ. ad Quint. Frat. Epiſt. 16.
(*b*) Cato apud Tullium lib. 2. de Officiis.
(*c*) Cato apud Auctorem Colloquiorum Pariſienſium de Uſura tomo 1. pag. 128.
(*d*) Ambroſius Epiſt. 19. alias 24. ad Vigilium Tridentinum.

eruditione, prudentia, ſententiiſque refertam; qua dum *Petrus* per os BENEDICTI XIV. locutus eſt, docens Eccleſiam, totis opibus amputavit quidquid ea de re fuerat hæreticorum contagione fœdatum. Cum vero P. F. Daniel Concina Librum ediderit, cui titulus: *In Epiſtolam Encyclicam* BENEDICTI XIV. *adverſus Uſuram Commentarius &c.*, Opus illud egregium juſſu Reverendiſſimi Patris Thomæ Ripoll, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſtri Generalis, avidis oculis perlegimus, nec aliquid offendimus, quod vel a fide, vel a morum regulis alienum ſit: immo nobis pergratiſſimum contigit, quod Clariſſimus caſtioris Ethices aſſertor audierit Ambroſium loco laudato de uſura dicentem: *Nobis Sacerdotibus id præcipue curæ ſit, ut ea vitia reſecemus, quæ in plurimos videntur ſerpere*; &, qua eſt eruditione, Commentarium ſcripſerit omni laude dignum.

Ita cenſemus Romæ in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam die 6. Auguſti 1746.

Fr. Antoninus Bremond Ordinis Prædicatorum, S. T. Magiſter, Provincialis Daciæ, & Collegii Caſanatenſis Theologus.

F. Thomas Auguſtinus Ricchinius S. T. Magiſter, Collegii Caſanatenſis Theologus.

APPRO-

APPROBATIO.

DEcretalem Epiſtolam, qua Sapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. Catholicæ Eccleſiæ doctrinam adverſus pravas, quæ de fœnore opiniones irrepſerant, conſtabilivit, atque firmavit, & una ſimul prudentiſſimas æque, ac ſanctiſſimas præſtituit Regulas, quibus in contractibus, aliiſque negotiationibus ab uſura cavendum eſſet, commentatus eſt eruditiſſimus Vir Daniel Concina ex Dominicana familia, non tam Sacrarum Concionum laude, quam multiplici Librorum editione in literaria Republica clarus. Hujus itaque privati Doctoris *Commentarium* cum de mandato Reverendiſſimi Sacri Palatii Magiſtri inſpexerim, & quoad vires ferebant meæ undequaque ſcrutatus ſim, tanta doctrina referrum, tanta methodo, ac perſpicuitate, elucubratum inveni, ut mihi ipſum legenti luculentiſſime apparuerit nihil in hac ſalebroſa, & perdifficili materia potuiſſe melius a Pontifice Max. definiri, nihil ab eodem prudentius omitti. Quamobrem nihil obſtare cenſeo, quin Typis mandetur.

Ex meis ædibus tertio Kal. Febr. 1746.

Thomas Antonius de Emaldis ab intimo Cubiculo, & Epiſtolis latinis Sñi D.N. BENEDICTI XIV. *& in Romanæ Sapientiæ Archigymnaſio SS. Canonum Anteceſſor.*

APPRO-

APPROBATIO.

THeologicum Opus, cui titulus *in Epiſtolam Encyclicam* BENEDICTI XIV. *Commentarius* ſtudio, & cura eximii Viri P. Danielis Concina elaboratum, ſumma animi jucunditate perlegi, hanc mihi provinciam demandante Reverendiſſimo P. Aloyſio Nicolao Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro. Egregius enim Auctor Thomiſticæ Scholæ præſidio munitus, & adverſus laxiores opiniones ſtylum exercens, in id maxime incumbit, ut legentes non delectet tantum, verum etiam maximam illis afferat utilitatem; idque præſertim præſtat in hoc eruditiſſimo *Commentario*, in quo confutat Nicolai *Broederſen*, & aliorum circa uſuras peſtilentem falſiſſimamque doctrinam; ſimulque occaſione accepta exagitat, atque ex Pontificiæ Epiſtolæ iuconcuſſis præceptionibus, & monitis celeberrimis oppugnat, quæ circa eamdem materiam benigniores quidam Catholici nuper tradiderunt. Quapropter *Commentarium* hunc ego quidem (ſalvo meliori judicio) dignum arbitror, ut proferatur in lucem, tum ad redarguendam revincendamque illorum perverſitatem, qui pecunias, ſive res alias dando mutuas, ipſumque mutuum fucis obtegendo fediſſima uſuræ labe inquinantur; tum ad omnes commonefaciendos, inſtruendoſque, ut Sanctiſſimi æque, ac Sapientiſſimi Pontificis ſacroſanctas inſtitutiones præ omnis habeant, & cuſtodiant. Ex Angelica Bibliotheca die 14. Julii an. 1746.

F. Joannes Laurentius Berti
Auguſtinianus.

INDEX
CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

DISSERTATIO I.
CAPUT I.

Errores, qui edendæ Decretali viam aperuere. Pag. 1

CAPUT II.

Synopsis Encyclicæ Epistolæ BENEDICTI XIV. Errores in eadem damnati. Commentarii nostri partitio. p. 10

CAPUT III.
TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. UNICUS.

Quam provide, sapienterque Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. in hac sua Epistola nihil de contractibus, qui controversiæ causam præbuerunt, decernere impræsens constituerit; & quam prudenter distulerit librorum, qui confixas opiniones continent, damnationem. p. 16

CAPUT IV.
TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. I.

Quæ in hoc Pontificiæ Epistolæ textu præfiniantur, quæve improbentur? p. 21

§. II.

Communis Mutui finitio explicatur. p. 22

§. III.

ERROR PRIMUS, ET SECUNDUS
Evidenti consequutione confixus ex communi mutui finitione, in laudato Epistolæ textu probata. p. 24

§. IV.

FRROR TERTIUS,
Qui ex Pontificia Epistola damnatus infertur, quemque excogitavit Author libelli inscripti: Traitè de la Pratique des Billets. p. 26

CAPUT V.

§. I.

Duo Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. *quæ in discrimen adducta erant, definit. Alterum usuram peccatum esse. Alterum usuram in mutuo Sedem, locumque habere,* p. 27

§. II.

Quam necessario duos præfatos articulos BENEDICTUS XIV. *definierit, ex variis usurarum acceptionibus evincitur.* p. 29

ERROR QUARTUS PROSCRIPTUS,
Quem docet Nicolaus Broederfen, *cum suo Interprete Italo.* ibid

§. III.

Juxta Patres omnes notio usuræ est lucrum ex mutuo exactum, aut speratum. p. 32

§. IV.

§. IV.

ERROR QUINTUS,
A Salmaſio, aliiſque contra definitionem Uſuræ in Epiſtola Pontific. probatam, excogitatus. p. 34

§. V.

ERROR SEXTUS,
Qui proſcriptus infertur ex laudato Epiſtolæ Pontificiæ Textu, quemque nonnulli Recentiores docent, ſingularem aliam de uſura finitionem invehentes. p. 38

§. VI.

Brevis animadverſio in uſuræ finitiones, quas ex Theologis, & Canoniſtis congerit Nicolaus Broederſen. *Illius* Errores, *& fraudes.* p. 43

CAPUT VI.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

ERROR CAPITALIS
Nicolai Broederſen, *& ejuſdem Itali Interpretis, qui defendunt in mutuo non transferri Dominium, damnatus in laudato Pontificio Textu.* p. 45

CAPUT VII.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. I.

Doctrinæ Catholicæ capita adverſus uſuram. p. 57

§. II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF. p. 58

§. III.

Controverſiæ ſtatus pleno in lumine collocatur. p. 59

§. IV.

BENEDICTUS XIV. Pontifex Sapientiſſimus expoſitam controverſiam definivit. Omnem uſuram, ſive magnam, ſive parvam, ſive moderatam, ſive excedentem, ſive a pauperibus, ſive divitibus, ſive ab iis, qui pecuniam mutuatitiam tenent otioſam, vel prodigunt, ſive ab iis, qui eandem quæſtuoſis negotiis impendunt, perceptam, improbat ut criminoſam, & juſtitiæ commutanti adverſam. Errores *recens excitatos, rejicit proſcribitque.* p. 69

§. V.

Ineptiſſimum ſophiſma, quod pecunia non mutuo detur, ſed ad intereſſe: Non ad impreſtito; *ſed ad lucrum, reprobavit Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. his verbis* „ ne aditum „ relinquatis ineptis illorum ſermonibus, qui dictitant de „ uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine „ contineatur. „ p. 71

§. VI.

Sententia Authoris Itali, qui libro inſcripto: Dell' impiego del danaro, *in Compendium redegit Opus* Broederſen, *pleno in lumine ponitur. Impoſtura, quam Author iſte impingit Romanæ Eccleſiæ, in qua Sæculo* XIII. *mutatam eſſe de uſura doctrinam ſcribit, penitus profligatur.* p. 73

CAPUT

CAPUT VIII.

TEXTUS EPIST. PONTIF.

§. I.

Recenſentur Scripturarum Teſtimonia, quæ omnem uſuram ſive parvam, ſive magnam, ſive a Divitibus, ſive a pauperibus exactam improbant. p. 79

§. II.

EX LIBRO EXODI *Cap.* 22. *V.* 25. ibid.

§. III.

EX LEVITICO. *Cap.* 25. *V.* 35. p. 80

§. IV.

EX DEUTERONOMIO. *Cap.* 23. *V.* 19. p. 81

§. V.

EX PSALMO 14. *V.* 1. *& ſeq.* p. 82

§. VI.

EX PROPHETA EZECHIELE. *Cap.* 18. *V.* 22. p. 83

§. VII.

Ad incitas redigitur Broederſen *cum ſuo Italo Interprete. Hunc uſuras moderatas defendere evidenter demonſtratur.* p. 85

§. VIII.

Pauca de Hebræorum Commercio. p. 88

§. IX.

Quæritur Deus per Ezechielem, quod Paſtores Iſrael occultarent uſurarum pravitatem Populo ſuo. Blandæ Paſtorum opiniones Populum Divino ſupplicio non ſubduxerunt. p. 90

§. X.

EX EVANGELIO LUCÆ. *Cap. 6.* p. 91

Commenta Nicolai Broederſen *refelluntur*. ibid.

§. XI.

Pyrrhoniſmus ab Authore Operis inſcripti: Dell' impiego del danaro *ſuis Interpretationibus in Divinam Scripturam invectus*. p. 97

CAPUT IX.

Sancti Eccleſiæ Patres uſuram omnem, ſive parvam, ſive a Divitibus, ſive a pauperibus perceptam improbant. Duplicis uſuræ diſtinctio invecta a Calvino, Molinæo, & adoptata a Broederſen *cum ſuis, in Sanctorum Patrum nemine reperitur*. p. 100

TERTULLIANUS *lib. 4. contr. Marc. cap. 17.* p. 103

S. CLEMENS ALEXANDRINUS *lib. 2. Strom,* ibid.

LACTANTIUS *Divin. Inſtit. lib. 6. cap. 18.* ibid.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS *In Pſal. 14.* p. 104

S. ATHANASIUS. *In Pſal. 14.* ibid.

S. JO: CHRYSOSTOMUS. *Hom. 41. in cap. 17. Geneſ.* p. 105

AUTHOR OPERIS IMPERF. *Hom. 12. in cap. 5. Matt.* p. 106

S. BASILIUS. *Homil. in Pſal. 14.* p. 107

Inepta Broederſianorum *commenta refelluntur*. ibid.

S. AMBROSIUS. *Lib. de Tobia cap. 6.* p. 109

Lepida commenta Authoris Operis inſcripti : Dell' impiego del danaro *in S. Ambroſii doctrinam* . p. 109
S. HIERON. *Lib. 6. Comment. in cap.* 18. *Ezech.* p. 110
S. AUGUSTINUS . *in Pſalm. 36. Serm. 3.* p. 111

CAPUT X.

Conciliorum , & Pontificum Decreta adverſus uſuram : p. 112

CAPUT XI.

Nicolaus Broederſen , *cæterique , qui negant Patres , Concilia , Canones , & Pontifices , omneſque Catholicos Theologos damnare uſuram quamlibet lucratoriam , ſive parvam , ſive magnam : ſive a divitibus , ſive a pauperibus exactam , ad Tribunal Calviniſtarum , & Lutheranorum judicandi remittuntur . Mitiorum quoque Caſuiſtarum auctoritate hæretica illorum doctrina declaratur.* p. 114

CAPUT XII.

Author Operis : Dell' impiego del danaro , *ſe Calvini , Molinæi , aliorumque Hæreticorum de uſura doctrinam propugnare aperte confitetur , & adverſus omnes Catholicos contendit ſanam eſſe hanc Proteſtantium , & ſuam de fœnore ſententiam .* p. 121

DISSERTATIO II.

CAPUT I.

Introductio in alteram Epiſtolæ Pontificiæ partem . p. 123

CAPUT II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. UNICUS.

Poſſunt interdum occurrere tituli a mutuo vere ſejuncti , quorum vi ex pecunia mutuatitia lucrum jure exigatur . Quiſque etiam per con-

contractus a mutuo omnino diversos sua pecunia lucrari, annuosque emere proventus valet. Duo sanæ Doctrinæ Articuli confirmantur: & duo errores proscribuntur. Doctrina apud P. Thomam Tamburinum singularis. p. 124

CAPUT III.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. UNICUS.

Sæpe in contractibus vitium injustitiæ serpit, quamvis nulla usura sit. p. 128

CAPUT IV.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. I.

Documenta quædam, quæ exequenda diligentissime admonet Pontifex Summus, brevissime exponuntur. p. 129

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. II.

A Sanctis Patribus, & iis Theologis, qui doctrina, & Sanctitate splendent, consilium in his potissimum controversiis capiendum esse docet Pontifex Sanctissimus. p. 130

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. III.

Quinam ad has dirimendas controversias idonei sint: Qua via potissimum Evangelicæ Moralis studium comparandum: A Laicis ne, an a Religiosis viris petendæ sint de rebus Theolog. decisiones. p. 131

CAPUT

CAPUT V.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. I.

STATUS SECUNDÆ PARTIS CONTROVERSIÆ APERITUR.

Duo gravissima capita Pontifex Summus decernit, firmatque in descripto Textu. Præceptum mutui in memoriam revocatur. p. 136

§. II.

Opiniones *Casuistarum, quæ primo proscribendo* Errori *de Titulis semper cum mutuo occurrentibus, causam dederunt.* p. 138

§. III.

CONSECTARIUM,

In quo concluditur BENEDICTUM XIV. *prudentissime, & gravi necessitate urgente damnasse recensitos* Errores. p. 144

§. IV.

Variæ Contractuum formulæ, quæ causam dedere alteri gravissimo Errori *proscribendo; videlicet mutuum semper comitari contractus aliquos, quorum præsidio lucrum justum evadit.* ibid.

§. V.

Formula contractus, quam præbet Nicolaus Broedersen, *inepta est, plenaque vitiis, & dolis.* p. 146

§. VI.

Manifestantur contractus, quos in formulis recensitis supra §. IV. *Theologi Probabilistæ contineri propugnant.* Gaspar Rodericus *cum aliis Jurisconsultis ut hæreticam improbat sententiam, quæ defendit usuras moderatas licitas, etiam consensu Principum concessas.* p. 148

§. VII.

Denuo confirmatur, Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. *prudenter præteriisse recensitos contractus, qui excitatæ controversiæ causam*

cauſam dedere. Quam inexcuſabiles ii ſunt, qui lamentantur Romanam Sedem nullum ferre judicium in hunc, illumve contractum. Niſi Chriſtiani Evangelicæ Doctrinæ ſpiritu inſtructi ſint, nulla nova Conſtitutio, aut Decretalis ſufficit ad retundendos cupiditatis cavillos. Si Evangelicæ Doctrinæ amore ac zelo ducamur, ſatis contra uſuram proviſum eſt. p. 152

CAPUT VI.

Univerſæ controverſiæ ſtatus pleno in lumine collocatur. Capita in hac ſecunda Pontificiæ Epiſtolæ *parte contenta clarius explicantur.* p. 155

§. I.

Scite Pontifex Summus num. III. & V. *ſuæ Epiſtolæ diſtinxit titulos mutuo veluti innatos, & intrinſecos, a titulis* Quandoque *extrinſecus ſupervenientibus: Item contractus a mutuo omnino diverſos; & contractus in eadem pecunia, ſub mutui forma tradita, implicite, ut contenditur, incluſos.* ibid.

§. II.

Univerſæ controverſiæ ſcopus exponitur. Duæ viæ oppoſitæ, defendendi expoſitos contractus. Altera Calvini, Molinæi, aliorumque Hæreticorum. Altera quorumdam Caſuiſtarum Catholicorum, qui Dogma adverſus uſuram propugnantes, reipſa omne lucrum moderatum ab uſuræ labe depurgant. Ambas defendit Nicolaus Broederſen *cum nonnullis aliis. Utraſque vero improbat BENEDICTUS XIV. in hac ſua Epiſtola.* p. 157

DISSERTATIO III.

CAPUT I.

TEXTUS EPIST. PONTIF.

§. UNICUS.

Extrema rigoris, & laxitatis vitanda. Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. illas ſeligi ſententias jubet, quæ cum ratione, tum aucto-

auctoritate Plane *confirmatæ apparent, rejectis opinionibus minus probabilibus, quæ revera* Plane *ratione & auctoritate confirmatæ non sunt. Quinam Theologi præferendi?* p. 159. & seq.

CAPUT II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. UNICUS.

Nonnulla sophismata adversus ea, quæ dicta sunt, diluuntur. p. 164

CAPUT III.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. UNICUS.

Sensum erroneum, quem nonnulli Recentiores eruebant ex mandato Innocentii XI.: Caveant ab omni censura, & nota, *improbatur in rescripto Epistolæ Textu, ut ego quidem sentio. Quomodo Venerabilis Innocentii Papæ præceptum intelligendum sit, declaratur, & exponitur -* p. 167

CAPUT IV.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

§. I.

Clare in hoc textu improbantur (ut ego quidem arbitror) contractus impliciti & innominati, qui sunt mera mutui pallia. p. 173

§. II.

Ultima usuræ larva. Census personales utrimque redimibiles. p. 175

§. III.

CONSECTARIUM. p. 179

§. IV.

Sophisma disseminatum in vulgus, ab Edicto lato a Summo Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. quo vetantur immoderati realium censuum proventus, petitum. p. 180

§. V.

§. V.

Objecta diluuntur a cenſuum realium, quos Eccleſia probat, paritate arceſſita. p. 182

§. VI.

Alia reſolvuntur objecta, a jure repetita naturali, vi cujus improbatæ moderatæ uſuræ non videntur. p. 186

§. VII.

Falſum commentum refellitur; nempe, SS. Patrum tempore conſuetudinem moderati fœnoris 4. aut 6. in centum non obtinuiſſe. p. 195

CAPUT V.

Univerſi Operis Anacephaleoſis. Documentis Cathechiſmi Romani, atque Epiſcoporum Bragadeni *Veronenſis, &* Boſſueti *Meldenſis, exprobantis* Richardo Simonio *conſtantem Conciliorum, Romanorum Pontificum, Patrum, Interpretum, & Eccleſiæ Romanæ Traditionem adverſus Uſuram,* Broederſiani *iterum ad incitas rediguntur; & Commentarius abſolvitur.* p 201.



IN

IN EPISTOLAM ENCYCLICAM BENEDICTI XIV.

COMMENTARIUS.

DISSERTATIO PRIMA

CAPUT I.

Errores, qui edendæ Decretali viam aperuere.

I.

DUO ſunt vitiorum genera affinitate ſumma devincta, concupiſcentia nempe Carnis, & divitiarum cupiditas, quibus maxima hominum pars ſemel irretita, & veluti dementata raro inde emergit, ſed compedes in dies ſibi aggravat, & vulnera vulneribus adjicit, donec omni ex parte ſauciata, mortaliter ægrotet, æternumque demum periclitetur. Et quo homines in hæc flagitia abripiuntur impotentius, eo fortius humana mens, omnes exerit vires, ut, lenociniis undique accitis, voluptatem, & avaritiam quapiam honeſtatis larva contegat, excuſetque. Quæ ſane honeſtandæ malitiæ ars, tempeſtate noſtra ultimas attigiſſe metas videtur. Quan-

doquidem, quæ paradoxa his diebus vel de ipſa impudicitia, non vidit, non legit, non horruit Italia noſtra, repetitis typis cuſa, ad concupiſcentiæ jura tuenda, Regnumque libidinis amplificandum? Verum ſi plures hodie adverſus Divinam legem graſſantur errores, Divina factum Providentia eſt, ut Eccleſiæ Catholicæ SAPIENTISSIMUS PONTIFEX BENEDICTUS XIV. præſit, qui confixis libellis, errorum adverſus ſextum Decalogi mandatum plenis, continuo, immenſa licet hoc impeditiſſimo tempore negotiorum mole pene obrutus, ad errores, qui ſeptimo Decalogi ejuſdem mandato opponuntur, convellendos, animum adjecit, & Congregationem Purpuratorum Patrum, Prælatorum, atque Theologorum inſtituit, qui recrudeſcentes, atque recens excitatas de uſuris controverſias, omni partium ſtudio ſemoto, accurateque diſpicerent, ſuaſque de iis opiniones ſcripto exararent. Quæ omnia adamuſſim peracta ſunt.

II. Errores porro, qui Sedem Apoſtolicam ſollicitarunt, ut paulo altius rem arceſſam, ſunt ſequentes. Calvinus, qui Paterenorum, ſeu Catharorum, aliorumque priorum temporum hæreticorum renovavit hæreſes, errores quoque pugnantes cum Divina lege, quæ uſuras vetat, adoptavit, ſed nova indutos larva. Vetitam abſolute Judeis uſuram aſſerit, ſed legem hanc politicam, ſeu cæremonialem eſſe contendit, quæ, Evangelio promulgato, evanuit; *Unde ſequitur* (inquit in octavum Decalogi præceptum) *uſuras hodie non eſſe illicitas*. Obiter hoc de argumento Calvinus, ſed ex inſtituto Carolus Molinæus ſcripſit, tum Gallice, tum Latine. Novum ipſe de uſura invectum a Calvino errorem munire ſtuduit. Negat uſuram juſtitiæ commutanti adverſari, ſi ſit ad legum civilium præſcriptum exacta; ſed cum charitate tantum pugnare concedit, ſi nimia ſit, vel a pauperibus percepta. Tria ille hominum genera diſtinguit. Unum eorum, qui mendicata ſtipe vivunt, mutuumque reddere nequeunt. Alterum eorum, qui ob aliquem fortuitum caſum pecunia egent; opportuno tamen tempore illam reſtituere valent. Tertium eorum, qui divites ſunt, nempe negotiatores, & fundorum, redituumque Poſſeſſores. Primis eleemoſyna, ſeu mutuo, abſque ſpe recuperandæ ſortis, ſuccurrendum ait. Secundis gratis mutuandum, cum ſolius ſortis reſtituendæ onere, ſine lucro. A tertiis juſte exigi uſuras moderatas una cum ſorte defendit.

III. Molinæi, Calviniique errores fuſius amplificarunt Joannes Cloppenburgius, & Claudius Salmaſius Calviniſtæ, qui mutuis ſcriptionibus acriter ſe ſe conflictarunt. In prima quippe a Catholicæ Doctrinæ ſucceſſione inteſtinum bellum arſit inter ipſos hæterodoxos, qui

qui temporis poſtea decurſu in hæreſim uſurariam prolapſi ſunt omnes. Nullum peculiare Romanæ Sedis Decretum adverſus hanc novam emanavit hæreſim, quod jam ſatis luculenter prædamnata eſſet in tot Conſtitutionibus, & Conciliis, præcipue in Viennienſi ſub Clemente V. Catholici omnes, præfatam doctrinam, aut hæreticam, aut hæreſi proximam declararunt. Duo tantum, vel tres Catholicorum Authores ſin proxime, ſaltem non valde remote, huic errori acceſſerunt: Videlicet P. Emanuel Maignanus, qui licet veris omnem deteſtetur uſuram, re tamen eam defendit ſub larva contractus *Commiſſionis*, cujus Diſſertario, & quinque Epiſcoporum, & Romanæ Sedis Cenſuris proſcripta eſt. P. Andreas de Colonia 1676. edidit librum, in quo ſimiliter uſuram omnem improbat; ſed in quolibet mutuo, aut trinum contractum, aut cenſum realem, perſonalemve, vel denique quempiam alium innominatum, implicitumque contractum reperiri contendit, quo ab uſuræ labe moderatum lucrum inde perceptum depurgetur. Iſtius librum proſcripſit Epiſcopus Gratiopolitanus Stephanus Le Camus, poſtea Cardinalis, eumdemque Romana Sedes damnavit. Proximius hæreſi acceſſit Auctor Libelli editi 1682., cui titulus: *Traité de la pratique des Billets entre les Negoziens*. Cognomen Authoris eſt *le Coreur, Presbyter Eccleſiæ S. Germani Antiſſiodorenſis*. Is fere primus cavillari mutui finitionem cœpit, duplexque mutuum commentus eſt; alterum conſumptionis, negotiationis alterum. Illud, ſecus iſtud, verum mutuum adfirmat, & lucrum ex eodem perceptum uſuræ labe aſperſum fatetur. Poſterius non proprie mutuum appellat; ſed contractum commercii, ex quo lucrum moderatum perceptum, cujuſcumque uſuræ expers eſt, honeſtuſque proventus ab eodem nuncupatur. Uſura quippe ſine mutuo haberi nequit. Mutuum hoc in contractu deeſt: Igitur & uſura abeſt. Sic ille.

IV. Hæc ſemina ſunt excitatæ in Fœderato Belgio controverſiæ inter transfugas Janſeniſtas. A duobus circiter ſæculis, obtinebat in Belgio, ſicut & in aliis Regionibus, conſuetudo cenſuum realium. Cenſus iſti in favorem tantum venditorum redimibiles erant, vi Conſtitutionum Martini V., & Calliſti III. Pro iſtorum cenſuum legitima celebratione alias Conſtitutiones ediderunt Pius V., & Gregorius XIII. Senſim ſine ſenſu cenſibus realibus ſublatis, ſucceſſere cenſus perſonales utrinque redimibiles. Quæ corruptela latius graſſari cœpit, occupato ab Hæreticis Belgio. Ad Theologorum Tribunal ſæpe delati fuerunt cenſus iſti, tamquam uſuræ pleni. Conſultationem Doctorum Lovanienſium habitam 1687. refert Nicolaus Broe-

derſen *lib.5. p. 3. cap.2. & 5. pag.930. & ſeqq.*, ubi inter cætera hæc habentur. *Contractus illi in Conventu noſtro, non ſemel ſunt propoſiti, & examinati: & licet multis omnino illiciti, ac uſurarii, omnibus multo pleni periculo apparerent, viſum tamen eſt aliquibus, rationes aliquas proponere, quibus aut liciti, aut ſaltem in hac Patria tolerari poſſe viderentur .... Nonnulli vero putabant contractus illos, licet forte uſurarii eſſent, ac illiciti, poſſe tamen in his Provinciis tolerari, nec videbant propterea abſolutionem hominibus eſſe negandam, quia multi ex hac negatione timebant mala &c.* Si plura cupis lege ipſum *Broederſen*, qui ibidem *pag.* 934. *& ſeq.* refert ſententias Theologorum, & aliam Conſultationem habitam 1688. Sententia Conſultationis 1687. hæc eſt: *Unum hic fuit ſolemniter conſultum, nimirum contractus illos ab Hollandis Presbiteris propoſitos, nihil diferre a mutuo, eſſe verum mutuum, & etiam uſuram.*

V. Alteram Conſultationem Lovanienſium anno 1688. habitam, refert idem Broederſen *loc.cit. pag.* 936. „ die 20..... anni 1688. Ite-
„ rum ſuper eodem caſu convenerunt Exim. D. D. Huygens Pſmans,
„ & De Svvaen.

„ Conſideratum fuit, & ponderatum quanta enaſcerentur in-
„ comoda, ſi reſolutio haberetur. *Omnes ab abſolutione removen-*
„ *dos, quotquot contractibus iſtis implicati eſſent, vel ſi ſtatim ad reſti-*
„ *tutionem cogerentur, quod nempe tota eſſet turbanda Hollandia,*
„ *quod deſerendi paſſim Confeſſarii de Clero, ac frequentandi Mo-*
„ *nachi &c.*

„ Aliunde ponderatum fuit quanta cum Animarum pernicie
„ trahi ad laxitatem a nonnullis poſſet, ſi pro reſolutione dicere-
„ tur, quoſdam (qui prævidentur non acquieturi) in ignorantia
„ ſua, ac bona fide relinqui poſſe: Aut conſideranda eſſe incommo-
„ da, quæ ex eliminandis iſtis contractibus oriri poſſent; Aut extir-
„ pandos illos eſſe, ubi commode id fieri poteſt &c. Id propterea
„ (ne omnino nihil dicerent) viſum fuit Reſolutionem SIC GENE-
„ RALIBUS TERMINIS exprimere.

„ Non intellexerunt D. D. Conſultores, ſignanter duo primi
„ nominati, quid ſibi velint illa, quibus eruditiſſimus D. Verryn in
„ literis ſuis ad eximium Huygens (quæ in hoc conſenſu prælectæ
„ a me fuerunt) inculcat: alterius rationis eſſe contractus illos, de
„ quibus quæſtio, & eos, quos paſſim vocant reditus utrinque re-
„ dimibiles. Quod enim inquiebat *Eximius Huygens* iſti vocentur
„ reditus, cæterique vocentur proprii nominis mutuum, parum
„ facit, ſi attendamus reditus vocari cum addita particula alienante

„ *utrinque*

„ *utrinque redimibiles*; per hanc enim particulam veri reditus, ſive „ cenſus naturam amittunt, ut jam proprii nominis, emptio, dici „ non poſſint, atque ita, quoad ſubſtantiam ſaltem recidunt in „ mutuum.

„ Frequenter ab omnibus dictum fuit rem eſſe *periculi pleniſſimam* „ aliquid determinare circa ſingula quæſita Presbyterorum Schie- „ landiæ „

VI. Judicium Doctorum, quod notis exhibet idem *Broederſen* ibi, ejuſmodi eſt.

„ Infraſcripti partim ſimul, partim ſingulatim examinavimus „ contractus, qui vocantur *reditus utrinque redimibiles*, prout etiam „ alios illis affines, in quibus datur ſumma pecuniæ ſub his duabus „ conditionibus, quod is, qui dat, recipiet annue quatuor, exem- „ pli gratia, plus, minuſve in centum, & ſumma data, dum danti „ placuerit, erit teſtituenda; modo, qui recipit, præmoneatur, „ exempli gratia trimeſtri, vel medio anno ante. Et quamquis non „ in omnia huc pertinentia omnes convenerimus; omnium tamen „ ſententia eſt, dictos contractus, ſaltem propter periculum, eſſe vi- „ tandos; ideoque debere animarum directores, quantum poſſunt, „ eos eliminare.

VII. Plurima hinc eruit Nicolaus *Broederſen*, quæ perſequi, & expendere hujus loci non eſt. Concluſionem dumtaxat tranſcribo, quæ evidenter, omni tergiverſatione ſublata, evincit Doctorem hunc Janſeniſtam, hæreticam Calvini Doctrinam hoc de argumento adoptare, & Doctoribus Lovanienſibus, conſueta ſua mala fide, infamiæ labem aſpergere. Ejuſmodi eſt Broederſen Concluſio pag. 939. num. xx. *Ex quibus omnibus merito concludimus, Doctoribus iſtis, non fuiſſe certum, ac evidens, multo minus ad fidem pertinens, contractus illos juri naturali, aut Divino repugnare; adeoque juxta eoſdem, non eſſe certum, quod OMNE LUCRUM EX MUTUO, SEU OMNIS USURA juri naturali, aut Divino adverſetur; nam controverſioſos contractus, nihil diferre a mutuo, & uſura ſolemniter concluſerunt num.* 2.

Num. xxi. *Hæc perpendant, qui audacter aſſerunt, non modo certum eſſe, ſed ad fidem ſpectare, quod Chriſtianis jure Divino omne Lucrum, omniſque uſura vetetur.*

VIII. Hæc de *Broederſen* obiter, ut ſub diſputationis initium ejuſdem de uſura doctrinam compertam Lector habeat. Ut autem quam enormis ſit impoſtura Doctoribus Lovanienſibus afficta, pateat, & Doctores, & illorum verba ſub oculos revoco. Verba ejuſmodi

modi ſunt, quæ refert ipſe *Broederſen* pag. 935. Poſtquam enim Doctores Lovanienſes ſtatuerunt in recenſita Conſultatione n. 2. præfatos Cenſus non diferre a mutuo, continuo num. 4. hæc adjiciunt. *Convenit autem, quod ab ejuſmodi contractibus dehortandi eſſent Fideles meliori, quo poſſent, modo, cum* CERTO SINT CONTRA JUS DIVINUM, ET HUMANUM. Doctrina, quæ certo eſt contra Jus Divinum, immunis ne deinceps dicenda erit ab hæreſis nota? Ad jus naturale quod ſpectat, ſubdunt ibidem num. 5. *An ipſamet uſura eſſet contra jus naturæ, nonniſi* OBITER *diſcuſſum fuit, pleriſque cenſentibus, eſſe veroſimilius contra jus naturæ.* Sed legat *Broederſen num.* 11. ejuſdem conſultationis, ubi hæc habentur: *Fornicatio, ut paſſim tenetur, jure naturæ eſt illicita. Quando tamen in caſu particulari averterentur incommoda, quomodo illud primum dilucide probabitur?* Dicet ne *Broederſen* certum non fuiſſe anno 1687. Doctoribus Lovanienſibus fornicationem Jure naturæ eſſe vetitam? Etiamſi demonſtratio evidens illis non fuiſſet, quæ evinceret fornicationem, uſuramque pugnare cum naturæ lege, propterea ne inferri jure poteſt, illos negaſſe hæc duo crimina legi naturali adverſari? Doctori ſubtili *Scoto* non ſunt evidentes demonſtrationes S. Thomæ, quibus probatur Deum exiſtere; nec illæ, quas promit *Scotus*, probantur aliis. An propterea nobis certum non eſt, ratione naturali Deum eſſe, demonſtrari poſſe? Sed impudentior calumnia aparebit, ſi, qui ſint iſtius conſultationis Doctores, patefecero. Sunt autem *Huygens*, *Steyaerts*, *Paſmans*, *Hennebel*, *Van Eſpen*, quos cum aliis refert ipſe Broederſen pag. 934. num. 14. Quibus nota ſunt iſtorum Doctorum opera, intolerabilis eſt calumnia, quam illis impingit *Broederſen*. An ex inſtituto Huygens, Steyaerts, Van Eſpen, non refellunt uſuræ errorem? Verum hæc per tranſennam de *Broederſen* dicta ſint.

IX. Itaque annis 1687. & 1688. diſputatum inter Doctores Lovanienſes acriter, eſſent ne Cenſus utrinque redimibiles uſuraria pravitate infecti? Nihil a mutuo differre cenſuerunt præfati Doctores, atque adeo uſurarios, Divinaque lege vetitos. Aliqui tamen eorum contra ſentiebant a mero ſejunctos mutuo, quod lucrum ceſſans iiſdem accederet, ut D. *Steyaerts*, idque conſtat ex præfata conſultatione num. 6. Paſtores Schielandiæ, & Gondæ rationes propoſuerunt, quibus cenſus utrimque redimibiles, aut liciti, aut ſaltem *in hac Patria* (inquiunt) *tolerari poſſe viderentur*. Alii quippe contendebant, non eſſe ejuſmodi contractus proprie, ac ſtrictum mutuum. Alii defendebant hujuſmodi contractum, quamquam uſurarium, atque

que adeo illicitum, & injuſtum, tamen tolerandum infœderato Belgio eſſe, eo quod Mercatura in illa Patria, abſque ejuſmodi cenſibus conſiſtere nequaquam poſſet. Lege ipſum *Broederſen* pag. 930., & ſeqq. Non modo in fœderato Belgio, ſed in Gallia etiam hoc circiter tempore de uſura fervebant diſſidia adverſus Epiſtolam, quam Jacobus de Fieux Epiſcopus Tullenſis anno 1679. pro ſui Gregis inſtructione contra uſuram ediderat. Prodiit anno 1680. libellus, in quo Molinæi doctrina ſubdole propugnatur. Titulus illius eſt: *Factum, ou propoſitions ſuccinctement &c.* Recuſus Libellus fuit anno 1703. Henricus de Biſsy, qui in Epiſcopatu Tullenſi ſucceſſerat præfato Jacobo de Freux, eodem anno, die 13. Septembris Edictum edidit, quo errores iſtius libelli proſcribuntur. Et tandem anno 1704. denunciatus idem Liber fuit ſupremo Romanæ Inquiſitionis Collegio, datuſque Theologis, qui perdoctas diſertationes exararunt, pluresque propoſitiones graviſſimis cenſuris notarunt, atque die 11. Martii ab eodem Sacro Tribunali non modo præfatus, ſed duo alii de uſura Libri damnati fuere, quorum alter inſcribitur: *Uſura explicata, ſeu de conſcientia parata &c.* Tertius: *Conſuetudines Anglicæ &c.* Tandem Univerſitas Pariſienſis, anno 1717. ſequentem articulum definivit ſub art. 91., *Sive a pauperibus (quibus non ſolum mutuo dare, ſed etiam erogare ſæpe præceptum eſt) Sive a divitibus aliquid ultra ſortem Exigere, vel intendere vi mutui ad certum, incertumve tempus dati, uſuræ crimen eſt, naturali, Divino, & humano jure prohibitum.*

X. Anno 1727. recruduit in fœderato Belgio de cenſibus utrimque redimibilibus controverſia inter ipſos Janſeniſtas. Hoc quippe circiter tempore Janſeniſtarum non pauci e Gallia ad Belgas confugerunt, ibique cum aliis Janſeniſtis fœdere inito, ſedem fixere. Schiſma, quod Varletus anno 1724. invexit, collatis mutuo viribus foverunt. Cum enim dictus Varletus Babylonis Epiſcopus ſuſpenſus fuiſſet ab Apoſtolica Sede, in Belgium ſe recepit, & propria abuſus dignitate, ut a Janſeniſtis gratiam iniret, Ultrajectinum Archiepiſcopatum ob Hæreſim ſuppreſſum redintegravit die 15. Octobr. ann. 1724. Porro quamquam iſtius Schiſmaticæ Eccleſiæ unus eſſet, in iis, quæ ſchiſma, hæreſimque janſenianam ſpectant, conſenſus: tamen inteſtinum in eadem exarſit bellum ſuper uſurarum controverſia. Denuo diſputari cœptum de reditibus utrimque redimibilibus. Uſurarios illos declaravit Barchmanus novus Pſeudo Archiepiſcopus. Teſtatur, nullos ſe inſtituturum Epiſcopos, qui ejuſmodi contractus ſe damnaturos non ſponderent. Janſeniſtarum plures cenſus utrimque redimibiles

mibiles ab uſura primum purgare tentarunt confictis titulis, Caſuiſtarum etiam Romanæ Eccleſiæ quorumdam auctoritate allegata. Contra pugnabant alii, nullumque verum, & diſtinctum a mutuo titulum in præfatis cenſibus reperiri efficaciter demonſtrabant. Ad hos redegerunt incitas adverſarios, ut vel dictos Cenſus damnarent, aut moderatam defenderent uſuram. Illi Reipublicæ, cui uſura probatur, metu percuſſi, poſt longas diſputationes pedetentim cavillari mutui finitionem, negare pecuniæ ſterilitatem, in mutuatore remanere dominium adfirmare cæperunt; & tandem in apertam Calvini, Molinæi, Salmaſii, aliorumque Proteſtantium hæreticam de uſura doctrinam prolapſi ſunt, repugnantibus aliis, & quidem doctioribus Janſeniſtis, qui pro Catholica doctrina tria edidere opuſcula, quorum hi ſunt tituli. 1. *Caſus Poſitio*. 2. *Iterata Diſcuſſio*. 3. *Appendix ad Caſus Poſitionem*. Si plura de his cupis, lege Opuſculum Gallico exaratum idiomate, cui titulus: *Memoire ſur l' etat preſent des refugiez françois en Hollande au ſuiet de la Religion Paris* 1728. Leges etiam Franciſcum Lafiteau Epiſcopum Hiſtaricenſem in Hiſtoria Conſtitutionis UNIGENITUS. lib. 5.

XI. Indoctiores Janſeniſtarum plura in defenſionem Cenſuum utrimque redimibilium evulgarunt opuſcula. Præ cæteris Nicolaus *Broederſen* Paſtor Delphenſis, & Schiſmaticæ Ultrajectinæ Eccleſiæ Pſeudocanonicus calamum in hac controverſia exercuit anno 1728. Opus in lucem emiſit hoc in ſcriptum titulo: *Tractatus brevis de reditibus utrimque redimibilibus*. Ut hos cenſus licitos evincat, a Molinæo, Calvino, Salmaſio cæteriſque Hæreticis doctrinam mutuatur: videlicet moderatam uſuram, non a pauperibus, ſed a divitibus Mercatoribus exactam, non eſſe a Deo prohibitam. Adverſus hujuſmodi ſcriptum Pſeudo Archiepiſcopus Ultrajectinus Barchmanus, cum aliis, ut fertur, pro Catholica Doctrina, opus typis edidit anno 1730. hoc inſcriptum titulo: *Dogma Eccleſiæ circa uſuram expoſitum, & vindicatum occaſione Recentioris ſcriptionis, cui titulus: Tractatus brevis de reditibus &c. Simul reſpondetur ad alias duas Scripturas &c.*

XII. Opus iſtud, licet hominis Schiſmatico-Janſeniſtæ, in iis, quæ uſuram ſpectant, non poſſum digna laude fraudare. Summa quippe eruditione, & perſpicuitate Traditionem Eccleſiæ, Conciliorum, Patrum, Romanorum Pontificum Conſtitutiones, Theologorum, atque Canoniſtarum auctoritates adverſus uſuram promit. Hanc in ipſa Præfatione pag. 3. num. 3., præmittit lamentationem: *Prodierunt e medio Eccleſiæ ſinu, imo, quod magis mireris, e Sacerdotali*

cerdotali Ordine recentiores Scriptores, qui affirmare non ſunt vetiti, non omnem uſuram, non omne ex mutuo lucrum a Deo reprobari; ſed ſolum oppreſſionem pauperum, aut violentiam; ita ut ex pecunia, ſeu Mercatori, ſeu homini alioquin non pauperi, ad negotiationem, ad Domum emendam, aliumve uſum ad tempus tradita lucrum merito exigi poſſit. Novellum Dogma tanta fiducia aliquis eorum protulit (*Nicolaus Broederſen Tractat. Brev. pag.* 86.), *ut contenderet evidenter probari tales contractus, nequaquam Divino Juri repugnare, & contrariam ſententiam, quæ hortodoxorum omnium hactenus fuit, erroris non ferendi inſimulare auderet, quam ſi quis tueatur, turbas ſuſcitet in Republica, atque ex ea exturbandis ſit.* Nam (inquit) „ exemplum præbuit Ratisbona, ubi quoſdam, quia ſimilia in eadem materia prædicarunt, e Civitate propelli oportuit.

XIII. Hæc ſunt plurium Theologorum pro laxis opinionibus tuendis arma. Si pugnare ratione nequeunt, arte, & politica vincere conantur. Rerum publicarum altum Dominium exaggerare in deliciis habent, rumuſculos ſerere, ciere turbas, minari Principum indignationem, ſus deque miſcere omnia, nihilque intentatum relinquere, ut erroribus, & laxiſſimis opinionibus caveant, liberumque inceſſum eiſdem nanciſcantur. Hæc, teſte laudato Barchmano, præſtitit Janſeniſta *Broederſen*, cui hoc pacto exprobrat idem Barchmanus *pag.* 4. *n.* 4. „ Egregium ſane exemplum, & dignum, quod a Catho-
„ lico homine laudaretur, Lutherani ſcilicet Doctoris, qui cum ſibi
„ in hoc Dogmate innovanti a Symmiſtis ſuis contradici patienter
„ non ferret, quos rationum pondere refellere non valebat, eos e
„ Civitate propelli, nihil erubenſcens obtinuit „.

XIV. Nihil hæc juſta improperia veritus *Broederſen*, viribus inſtauratis ingens conſarcinavit volumen inſcriptum: *De uſuris licitis, & illicitis .... Auctore Nicolao Broederſen Paſtore Catholico Romano. MDCCXLIII.* Catholici Larvam ementitur, cum ſit *Schiſmatico-Janſeniſta*. In hoc ſuo Opere, cujus ſpecimen infra dabo, hæreſim de uſura cum Calvino, Molinæo, Salmaſio, cæteriſque ejuſdem ſectæ defendit, videlicet moderatam uſuram exactam a pauperibus adverſarii charitati, & prohiberi a Deo; ſecus perceptam a Mercatoribus divitibus. Negat in mutuo transferri dominium, pecuniamque natura ſua ſterilem eſſe. Heinc infert, qua ratione ex agro frugifero, domove annuam exigere penſionem licet, eadem ex pecunia Mercatori diviti tradita, percipi poſſe.

XV. Hi ſunt errores, quos poſt Calvinum, Molinæum, Salmaſium, alioſque hæreticos adoptarunt Janſeniſtarum plures. Hæreſis

quippe de uſura a Calvin iſtis ad Janſeniſtas, a Janſeniſtis in ipſam Italiam noſtram penetrans, turbas excitavit non leves. Siquidem Italus Author libri inſcripti *Dell' impiego del danaro* nuper Molinæi, Salmaſii, & Nicolai *Broederſen* doctrinam adamuſſim tranſcripſit. Non aliam uſuram improbare ſcripturas, & Patres, quam immoderatam, mordentem, atque opprimentem, vel a pauperibus, non item moderatam, & a divitibus exactam, duobus integris libris evincere conatur. Tertio libro omnium Catholicorum principia, quibus uſuræ injuſtitia demonſtratur, evertere adnititur. In mutuo transferri dominium, pecuniam natura ſua ſterilem eſſe in fabulis habet. Vexillum erigere adverſus omnes Catholicos Theologos, Canoniſtas, Juris conſultos gloriæ ſibi ducit Vir illuſtris, qui nunquam nec Canones, nec Juris prudentiam, nec Theologiam profeſſus eſt. Quin Nicolai *Broederſen* Janſeniſtæ & Schiſmatici (quem tamen Catholicum, & Canonicum appellat) ingens volumen *De uſuris licitis, ex illicitis* in Italicam linguam vertit, & in Compendium redegit, ut de uſura error facilius, latiuſque in vulgus manaret. Hæc hæreſis uſurariæ origo, progreſſus, & incrementum. Et hi ſunt errores qui edendæ Pontificiæ DECRETALI EPISTOLÆ viam aperuere, ut mox clarius explicabo.

CAPUT II.

Synopſis Ecyclicæ Epiſtolæ BENEDICTI XIV. *Errores in eadem damnati. Comentarii noſtri partitio.*

I. ADverſus errores, quos Calvinus, Molinæus, cæterique Hæretici invexerunt pro uſuræ defenſione nullum Decretum, Conſtitutionem nullam hactenus edidit Romana Sedes. Hæreſim in hac materia a Calvino, Molinæo, Salmaſio, aliiſque Proteſtantibus excitatam, omnes Catholici Theologi unanimi conſenſu validiſſime profligarunt. Quare, nulla olim opus fuit Pontificia Conſtitutione, qua doctrinæ caveretur catholicæ, cum ea penes Catholicos omnes ſarta tectaque fuerit, ne hærente quidem illorum aliquo, aut vacillante; licet laxiores Caſuiſtarum noſtrorum non pauci, ſalvo dogmate, evulgarint propoſitiones nonnullas, quarum quatuor proſcripſerunt Alexander VII., & Innocentius XI.

II. Verum enim vero, cum recenſitum opus *Nicolai Broederſen* in Italiam penetravit, nonnullos Catholicos iſtius controverſiæ minus peritos, non quod hi ingenio, ſed quod ſtudio, opportuno tempore

pore peracto, careant, in errorem pertraxit; atque ita bellum pro fœnoris defenſione excitatum poſt Calvinum, a Tranſalpinis Janſeniſtis in Italiam immigravit. Diſputatum acriter utrimque eſt, & libri editi ſunt. Gravis, aleæque pleni diſſidii fama ad Pontificis Tribunal pervenit. BENEDICTUS XIV. PONTIFEX SAPIENTISSIMUS, & ſingulari Divinæ Providentiæ Beneficio nobis datus, licet immenſa ſollicitudinum multitudine circumdatus, ſemper ad Eccleſiam Catholicam ſibi Divinitus commiſſam præſervandam ab erroribus indefeſſe vigilans, de opportuno adhibendo remedio ſtatim cogitavit, prout in ipſius Epiſtolæ exordio declaratur his verbis: *Vix pervenit ad aures noſtras, ob novam controverſiam (nempe an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam diſſeminari ſententias, quæ ſanæ Doctrinæ haud conſentaneæ viderentur, cum ſtatim noſtri Apoſtolici numeris partem eſſe duximus opportunum afferre remedium, ne malum hujuſmodi temporis diuturnitate, ac ſilentio vires magis acquireret, aditumque ipſi intercludere, ne latius ſerperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.* Vel in hoc ipſo Epiſtolæ exordio Pontifex Santiſſimus, malum, quod Italiæ noſtræ imminebat, ob oculos ponit; videlicet occaſionem cujuſdam contractus, cujus capite ſuperiore memini, *nonnullas per Italiam diſſeminari ſententias, quæ ſanæ Doctrinæ haud conſentaneæ viderentur.*

III. Porro, ut univerſæ Decretali Epiſtolæ diſtinctum ſpecimen exhibeam, omni confuſione ſublata, primum ordinem in controverſiæ examine ſervatum; poſt Doctrinam Catholicam confirmatam, & errores confixos indicabo. Et, ut a priore initium repetam, Pontifex Summus pro faciliori concepti conſilii executione, eam inivit viam, cui ſemper Apoſtolica Sedes inſtitit. Purpuratorum Patrum, Theologorumque Congregationem coegit, cui exortam controverſiam nitide luculenterque patefecit. Juſſit, ut omni partium ſtudio ſublato, rem totam accurate perpenderent, & quid ſentirent, ſcripto perhiberent. Ne autem controverſiæ deciſionem quidquam retardaret, noluit ſuper contractu, qui literario certamiui anſam dederat, judicium ferri. Cur? Quod PLURA DOCUMENTA NON SUPPETERENT, QUÆ NECESSARIO AD ID REQUIREBANTUR. Prius enim certam de uſuris doctrinam firmiter conſtitutam, perſpicueque definitam voluit. Hanc quippe in diſcrimen vocatam ſenſit. His paucis perſtrictis, quæ ordinem, rationemque in controverſiæ diſcuſſione ſervatam ſpectant, id quod caput eſt, indicabo.

IV. Secundum itaque Epiſtolæ caput Doctrinæ Catholicæ articulos præbet, & errores, qui neceſſaria conſecutione inde proficiſcun-

tur. Duo errorum genera in hac Epiſtola proſcribit Pontifex Summus. Alterum claritatis gratia voco *Dogmaticum*; quod ſcilicet Dogma Eccleſiæ adverſus uſuram recta aggreditur. Alterum appello *Caſuiſticum*, quod nempe, ſalvo Dogmate, fucis, & fictis titulis, uſuram omnem tegit, ejuſque praxim honeſtat. Utriuſque generis errores paucis hic perſtringam.

V. PRIMUS ERROR confixus *Num.* 1. mutui naturam ſpectat. Quemadmodum uſuræ, ſic & mutui naturam obſcurare, & cavillari definitionem niſi ſunt fœnoris Aſſertores. In noſtra autem Pontificia Decretali certæ, & perſpicuæ mutui regulæ præſcribuntur, quibus conſtitutis, in nihilum occidunt cavillationes Adverſariorum.

VI. SECUNDUS ERROR proſcriptus eodem *n.* 1. Epiſtolæ noſtræ communi fœnoris definitioni, quam Theologi Catholici unanimi conſenſu exhibent, adverſatur. Ut enim honeſtandi fœnoris viam faciliorem ſibi aperirent uſurarum Patroni, novam uſuræ finitionem excogitarunt. Pontifex autem Summus, veram uſuræ definitionem a Catholicis ſemper traditam confirmando, contrariam ab Adverſariis noviter invectam improbavit.

VII. TERTIUS ERROR *Num.* 2. Decretalis damnatus, Hæreticorum Calvini, Molinæi, Salmaſii, *Broederſen*, aliorumque doctrinam ſpectat, appellaturque Dogmaticus, quatenus aperte dogmati Eccleſiæ opponitur. Uſuram quippe moderatam a divitibus exactam honeſtari, juſtamque eſſe iſti defendunt.

VIII. QUARTUS ERROR *Num.* 5. Noſtræ Decretalis proſcriptus ad alterum genus, nempe ad errorem *Caſuiſticum* attinet. Vocatur *Caſuiſticus*, quia non pauci Theologi Moraliſtæ, optimi Catholici, Dogma adverſus quamlibet etiam minimam uſuram propugnantes, omnem ſive parvam, ſive magnam uſuram prohibitam fatentur. At cum viderent paſſim exerceri contractus, qui reipſa fœneratitii ſunt, bono zelo ſuccenſi præſervandi Fideles ab uſuræ flagitio, quemlibet fere contractum, uno, aut altero conficto titulo, a fœnoris labe, purgare ſtuduerunt. Cui falſæ perſuaſioni ut occurreret Pontifex Summus, inquit Ipſe citato *n.* 5., falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuadere, *reperiri ſemper*, ac preſto ubique eſſe, vel *una cum mutuo*, *titulos alios legitimos*, *vel*, *ſecluſo etiam mutuo*, *contractus alios juſtos*, *quorum vel titulorum*, *vel contractuum præſidio*, *quotieſcumque pecunia*, *frumentum*, *aliudve id generis altericuicumque creditur*, *toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem integram*, *ſalvamque recipere*.

IX. Altera Pontificiæ Decretalis pars, ſequentia puncta continet-

net. *Num.* 3. Animadvertitur posse interdum mutuationis contractui titulos aliquos extrinsecos adjungi, quorum causa lucrum perceptum ex pecunia alteri credita, licitum fiat: quoniam non ratione mutui, sed ob legitimum, verumque titulum minime mutuo innatum, seu intrinsecum, sed extrinsecus eidem advenientem exigitur. Item plures alii contractus a mutui contractu distincti occurrunt, in quos distrahi pecunia potest, ut frugifera fiat, humana industria adhibita.

X. Quamquam vero, subditur *num.* 4., indicati contractus a mutui natura diversi, & propterea ab usura omnino immunes sint, quod mutuum nec apertum, nec palliatum in iisdem concludatur: tamen non propterea exempti ab injustitia dici possunt. Si ex mutuo lucrum captetur, usuræ crimen perpetratur. Qui in aliis contractibus a mutuo penitus diversis æqualitatem non servant, injustitiæ scelus committunt. Si vero ad justitiæ libram contractus peragantur, divitiis, commerciis, & mercatura Civitates, & Regna ipsa florebunt. E contrario usura, & injustitiæ, commercia, mercaturam, & Regna ipsa in nihilum redigunt.

XI. *Num.* 5. Principium in hac controversia capitale, & summa consideratione perpendendum constituitur, & definitur: videlicet falsam, & temeritatis plenam esse opinionem illam, quæ defendit semper adesse titulos, una cum mutuo, vel contractus a mutuo sejunctos, quorum præsidio, quoties altericumque pecunia creditur, semper liceat moderatum lucrum recipere. Quem errorem & Divinis litteris, & Catholicæ Ecclesiæ de usuris judicio, & ipsi communi sensui, naturalique rationi adversari statuitur.

XII. Hæc sunt capita, quæ ut probaret, confirmaretque Pontifex Summus, gravissima severitate omnia in antecessum discuti voluit. Siquidem præter E. E. Cardinalium, & Theologorum studium, IPSA SANCTITAS SUA causam hanc recognoscere, & ultimos difficultatis recessus ingredi voluit. Hæreticorum, & Catholicorum volumina plurima perlegit, utriusque partis momenta serio perpendit, profunde discussit, incredibili perspicuitate, atque dicendi facilitate quid probandum, quidve rejicendum exposuit. Quæ vidimus, & audivimus, enarramus. His peractis, puncta, quæ in priore Epistolæ parte contenta descripsi, adprobat, atque declarat omnibus Theologiæ, & Canonum Professionibus, &, quod caput est Sanctarum Literarum testimoniis, Pontificum Decretis, Conciliorum, & Patrum Authoritatibus quam maxime esse consentanea. Quare Archiepiscopos, & Episcopos admonet, ut sententias in hac

Epistola

Epiſtola explicatas, tum in Synodis, tum in concionibus ad Populum altius inculcent, nihilque oppoſitum doceri permittant. Si quis vero parere detrectaverit, pœnis a Sacris Canonibus in eos conſtitutis, qui Apoſtolica mandata contempſerint, obnoxius declaratur. Iterum advertitur nihil in præſens ſtatui de contractu, qui novas has controverſias excitavit, nec de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in utramque partem diſputant.

XIII. Tertia Pontificiæ Epiſtolæ pars, quatuor continet monita. Primo Epiſcoporum, Parochorumque ſtudium excitat, ut Populis uſuræ pravitatem a Divinis Literis graviſſime improbari demonſtrent, ſuadeantque: Technas, & pallia, quibus vitium iſtud occultari ſolet, patefaciant: Caveant denique, ne ſuper his contractibus, ab iis conſilium petant, qui cupiditati omnium malorum radici benigne favent; ſed eos conſulant, qui ſaniorem doctrinam propugnant. Poſt Theologos ipſos admonet magnam Sacræ Theologiæ, Canonumque ſcientiam requiri, in his quæſtionibus definiendis, extremaque, tum ſeveritatis, tum laxitatis vitanda. Antequam ſententia dicatur, ſcriptores plures, ſpectata cauſæ gravitate, examinentur, & potiſſimum celebriores, illaque eligatur ſententia, quæ tum ratione, tum auctoritate magis confirmata apparet. Sententiæ, quæ ſuper aliquo contractu præſtantium Virorum teſtimoniis fulciuntur, gravibus cenſuris non notentur, nec in earumdem Authores contumeliæ confingantur: quoniam convitia hæc charitatis vinculum infringunt. Tertio loco dum contractus celebrari debent, utraque pars, clare, diſtincteque conditiones explicet, pretiumque definiat. Poſtremum aures iis claudendas Pontifex admonet, qui muſſitant, inanem eſſe hoc tempore de uſuris quæſtionem. Quin e contrario ſicuti olim graviſſima ſemper reputata fuit, ita potiore jure hac ætate eo eſt ſeverius, graviuſque diſpicienda, quo facta ſunt acutiora humana ingenia in legibus omnibus laxandis, eludendiſque. Hæc univerſæ Epiſtolæ imago, levi penicillo adumbrata. Operæ pretium exiſtimavi hanc Synopſim in anteceſſum ſub oculos ponere, ut ſtatim Lector, antequam cauſam ipſam ingrediatur, puncta diſcutienda comperta habeat.

XIV. COMMENTARIUM hoc noſtrum, tribuo in Diſſertationes tres. In prima, Doctrinæ Catholicæ capita, &, quæ adverſus ERROREM DOGMATICUM conſtituta ſunt in hac Pontificia Decretali Epiſtola patefaciam. Mutui, & uſuræ finitiones, quas Catholici omnes probant: Falſas Adverſariorum mutui, & uſuræ notiones: Erronea principia, nempe lucrum perceptum ex pecunia mutuo credita

dita Mercatoribus, prædiorum emptoribus, cæteriſque divitibus, qui ex eadem pecunia lucrantur, non eſſe uſuraria pravitate infectum, dummodo ſit moderatum, breviter explicabo. In immenſum opus creſceret, ſi huc adferre vellem, Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Pontificum teſtimonia, quibus Adverſariorum principia funditus evertuntur. Verum, quia id præſtiterunt viri egregii, ne actum agam, nonniſi pauca dabo. Qui plura cupiet, leget Jacobum Gaytte Doctorem Pariſienſem, & Canonicum Luſionenſem, qui ſpiſſum Tomum in 4°. edidit adverſus Molinæum, Salmaſium, Authoremque libelli *du Traitté de la pratique des Billetts*, Natalem ab Alexandro, Bonum Merbeſium, alioſque, quorum meminiſſe videtur Pontifex Summus in his verbis ſuæ Epiſtolæ: *Neque ignoramus quanta ſapientia, & gravitate defenſionem veritatis ſuſceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controverſiæ ejuſmodi principium habuerunt*.

XV. Altera COMMENTARII Diſſertatio Caſuiſticæ controverſiæ ſtatum exponet, & potiſſima capita adverſus illas opiniones, quæ confitentes Dogma Catholicum adverſus uſuram, illud confictis titulis reapſe in nihilum redigunt.

XVI. Tertia tandem COMMENTARII Diſſertatio tertiam Epiſtolæ Pontificiæ partis interpretationem continet. Quæ ſint indicatæ laxæ opiniones, quæ controverſiam de uſura inanem efficiunt, & quibus claudere Pontifex Summus aures admonet, ob oculos ponit. Ea propter ſub examen inducam titulos, quos mutuatitiæ pecuniæ veluti inſitos, ſeu, ut in Epiſtola noſtra indicatur, *Innatos*, nonnulli comminiſcuntur.

CAPUT

CAPUT III.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Non tamen expetivimus ab ipſis, ut judicium ferrent de „ contractu, qui controverſiæ cauſam initio præbuerat, „ cum PLURA DOCUMENTA non ſuppeterent, quæ „ NECESSARIO AD ID REQUIREBANTUR „.

§. UNICUS.

Quam provide, ſapienterque Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. *in hac ſua Epiſtola, nihil de contractibus, qui controverſiæ cauſam præbuerunt, decernere impræſens conſtituerit, & quam prudenter diſtulerit librorum, qui confixas opiniones continent, damnationem.*

I. ANtequam ea, quæ Pontifex Summus in ſuis literis Encyclicis definivit, ediſſero, lubet nonnulla præfari de iis, quæ prudentiſſime indicta præteriit. Duo hæc ſunt. Contractus, qui controverſandi in cauſa fuere: & libri, qui afflictam cauſam propugnant. Et de primo quidem fortaſſe non defuere, qui jam ſimilia oppoſuerint: „ Quid refert in morum controverſiis regulas, finitioneſque a rebus, quæ diſputationibus ſubjacent, avulſas præſcribere? Res ipſæ exequendæ: Contractus celebrandi ſunt. Illud ſcire intereſt, ſint ne contractus iſti juſti, & honeſti? Nec enim alio literarium certamen ſpectavit hactenus, niſi ut juſti, aut injuſti contractus, de quibus diſputabatur, innoteſcerent. Hic finis, hic tot certaminum, lucubrationumque ſcopus. Si nihil de iiſdem definitum, immunes ergo illi a Cenſura exiere. Liciti ergo dicendi. Victores itaque, qui illos propugnabant. Denique Anteceſſores Pontifices, cum de uſura exortæ controverſiæ fuerunt, propoſitiones, contractuſque proſcripſerunt. Alexander VII. propoſitionem unam; Innocentius XI. contractum Mohatræ, duaſque alias propoſitiones. Cur itaque juſti, aut injuſti declarati non fuerunt contractus, qui controverſiæ cauſam dedere „.

II. Hæc opponi ab iis poſſunt, qui ignorant omnino, ſecus ab iis, qui compertum habent controverſiæ ſtatum. Damnati olim contractus, proſcriptæ opiniones, quia tum nulla inter Catholicos diſpu-

ſputatio de Dogmatica adverſus uſuram Doctrina fuit. Contra nunc ipſum Catholicum Dogma in diſcrimen vocatum eſt. Omnes Catholici hactenus docuerunt, nemine diſcrepante, uſuram lucrum eſſe ratione mutui perceptum. Qua certiſſima regula conſtituta, facile tum erat damnare contractus illos, in quibus, aut occulte, aut palam mutuum deprehendebatur, cum lucri acceſſione. Poſtquam Catholici nonnulli Divinæ Theologiæ prorſus ignari Doctrinam Calvini, Molinæi, Salmaſii, cæterorumque Proteſtantium adoptare cæperunt, diſtinguentes lucrum perceptum ex pecu nia credita pauperibus, aut divitibus, ſolamque uſuram nimiam, & excedentem, ſecus moderatam improbantes, fieri minime potuit, ut proſcriberetur contractus, niſi prius quid ſit, & in quo uſura ſedem propriam habeat, definiatur. Cedo. Diſputatio oritur, ſit ne paries A. rectus, an curvus. Quid pro litis deficiſione agendum? Amuſſis eidem applicanda. Bene habet. At ſi lis fuerit, ſit ne amuſſis ipſa diſtorta, vel curva, quid tum? Nonne, hac facta poſitione, primum omnium norma ipſa, ita recta fiat, neceſſum eſt, ut nulla de ejuſdem rectitudine reſtet dubitatio? Poſt cum Pariete conferenda. Hæc omnia in controverſiam noſtram exacte quadrant. Diſputatum primum de contractibus juxta regulam inter Catholicos certiſſimam. Reperti communiter fuerunt uſuræ pleni contractus ejuſmodi. Quid tum fœnoris Patroni? Notionem uſuræ, & mutui naturam cavillari, & adulterare ſtudue-runt. Negari cœptum, quodcumque lucrum ex mutuo perceptum, uſuram conſtituere: Si enim data pecunia mutuatitia Mercatoribus fuerit, honeſtum lucrum, ſi pauperibus uſurarium: Uſuram moderatam a Divitibus exactam, licitam: ſolam uſuram nimiam, aut pauperum devoratricem a Deo vetitam docere aggreſſi ſunt. Hæc omnia uſurariæ hiſtoriæ peritis comperta ſunt, & explorata. Ergo rectus ordo neceſſario poſtulabat, ut prius, quæ ſit Eccleſiæ Catholicæ Doctrina certa de uſura firmiter conſtitueretur. Qui enim fieri poteſt, ut uſurarius declaretur contractus, ſi quid ſit uſura ignoretur, aut acriter de vera ejuſdem notione, & natura diſputetur? Ergo non modo prudentiſſime BENEDICTUS XIV., prærermiſſis contractibus diſputationi obnoxiis, Eccleſiæ Romanæ Doctrinam adverſus uſuram luculenter declaravit, ut Catholicis omnibus rectiſſimam amuſſim, regulamque certam præberet, qua contractus juſti ab uſurariis, diſcerni queant; verum etiam neceſſario ejuſmodi ſervandus ordo erat.

III. Accedit, quod contractus præfati diſcuſſio longiore tempore indigebat. Quid, quod nec ipſi Doctores Lovanienſes ut *cap.* 1.

vidimus, omnes contractuum *circumstantias*, seu appendices perspectas habuerunt? Conquirendæ itaque notitiæ plures fuissent, facta examinanda, Interim venenum doctrinæ serpit, errores noviter typis prodiți ad animarum perniciem grassantur. Si tempus in severiori contractuum examine insumitur, hæreticæ interim Doctrinæ virus serpit, mentes Catholicorum pervertit, altioresque radices quotidie agit. Accedit his præsertim temporibus periculum esse, ne ob maximam negotiorum multitudinem, quæ in dies Apostolicæ Sedi obveniunt, cœptum consilium in nihilum occidat. Hæc omnia longe prospiciens Sapientissimus BENEDICTUS XIV., ut pereclitanti Gregi sibi commisso, opportunum, atque efficax præberet remedium, Doctrinam Ecclesiæ luculentissimam exposuit, certamque regulam internoscendi contractus usurarios ab justis, & licitis, quo ad citius fieri potuit, patefecit.

IV. Quid ad hæc eruditi oppositores? Omnia bene, inquiunt; sed cur constituta, firmataque Ecclesiæ Catholicæ Doctrina adversus usuram, sententia in contractum ipsum rogata non est? Quod, reponit Pontifex Summus, *plura documenta non suppeterent, quæ necessario ad id requirebantur*. Satin hæc? Si hæc satis minime fuerint, sciant eruditi oppositores, Sedem Apostolicam in morem habuisse, eas dissimulare quæstiones, quæ factorum circumstantiis involutæ sunt, ut Magister *Cano* cum cæteris Theologis animadvertit. Et dum similes dirimit controversias, non nisi post diuturnum, severumque examen, & aliqua urgente necessitate, id præstat. Quod si nec ista sufficiant, perdiscant tandem oppositores, avaros, & propriæ cupiditatis amatores numquam esse contentos. Si contractus usurarum pleni essent declarati, quæ non opponerent? Pius V., Sixtus V. plures usura infectos contractus definiere. Quæ commenta acuti Juniores typis non prodidere? De his sermo infra erit. Cæterum cavendus quorumdam imperitorum error est; nempe contractus præfatos ideo posse licite celebrari, quia proscripti non sunt. Nam innumeræ sunt Casuistarum opiniones non adhuc damnatæ; nec propterea securæ sunt conscientiæ Regulæ. Videndum ergo num Theologi, & Canonistæ, qui sapientia, & sanctitatis fama cæteris præstant, ejusmodi contractus propugnent; ut Pontifex Sanctissimus in hac sua Decretali admonet. Verum de hoc alibi.

V. Pauca de secundo, quod proposui, puncto, delibanda; videlicet Pontificem Summum librorum, in quibus erronea continetur Doctrina damnationem prudentissime distulisse, eosque nunc intactos reliquisse. Quandoquidem ut Libri proscriberentur, ad severiorem revo-

revocadi criticem erant : instituendum examen . Longissimi temporis res erat , quod sint fucis , parallogismis , fallaciisque plenissimi . Nec sat erat unum proscribere . Cur enim hunc , secus alterum , si plus , minusve eamdem continent doctrinam , licet non omnes eadem eruditione referti sint ? Aliquot lingua vernacula conscripti pro usura moderata erupere . Quid de Transaipinis dicam ? Si istorum omnium institutum , solicitatumque examen fuisset , negotium universum in fumum abiisset . Ex alia parte proscribi sine examine libri non poterant . Prudentia summa ergo Pontifex Sanctissimus librorum proscriptionem distulit ; ut celerius ingravescenti morbo occurreret , Fideleſque ab errandi in re gravissima periculo eriperet .

VI. Accedit , quod Pontifex Summus insita illi Clementia , & benignitate , quam justa severitate uti maluit . Quæ Fidelium instructioni necessaria erant , præstitit . Quid improbandum , clare aperuit . Libri aliquot pro usura moderata editi , Authores habent clari nominis non modo Doctrina , & eruditione insignes , sed docilitate , honestate , atque morum integritate ornatos . Suspicandum ne , ut Viri præclari Sanctissimi Pontificis favore , gratia , & Clementia abuti velint ? Illi ipsi , antequam ad Tribunalia eorumdem opera deferantur , eadem corrigent , emendabuntque ad Epistolæ Ecyclicæ præscriptum . Si Illustrissimus *de Salignac Fenellon* , Archiepiscopus Cameracensis , cujus sapientia , & probitate , tota Gallia , ne dicam universa Ecclesia , splendet , propriis manibus e suggestu coram universo suo Populo librum suum flammis devovit , proscriptionemque incredibili animi demissione tulit , quæ esse dubitatio potest , quin præfati clarissimi Authores , corrigant , quæ viderint a Romana Sede damnata tam singulari humanitate erga semetipsos adhibita ?

VII. Ut ad ultimum quod proposui punctum accedam , Libros , qui pro usura moderata pugnant , silentio præteribo . Unum Transalpinum cum suo interprete Istalo , occasione data , refutabo . Is est *Nicolaus Broedersen* , cujus ingens volumen per Italiam impune discurrit , ejusque errores a nonnullis in Catholica Doctrina minus versatis deglutiuntur , atque in Italicam linguam nuper versi disseminantur in vulgus . Hæc mihi serio reputanti , talia animum subierunt . Quid ? Tam alto ne sopore Italia nostra defixa hærebit , ut nihil reponat adversus hominem , qui sub ementita *Catholici* Larva *Jansenismum* occultat ? Nobis omnibus silentibus hominis Transalpini Schismatici , & Janseniſtæ immane virus serpet , ac palam grassabitur ad simplicium Catholicorum perniciem ?

VIII. Majora tamen accedunt momenta, quæ me vel repugnantem ad refellendum, pro re nata, Auctorem hunc cum ſuo Interprete coegerunt. Quænam hæc? Janſenianæ factionis Doctores viri Barchmanus Petit-pied, aliique Dogma Catholicum adverſus uſuram ſtrenue propugnarunt perdoctis ſcriptis editis adverſus tractatum *Broederſen de reditibus utrimque redimibilibus*. Vident nunc ingens volumen, quod *Broederſen* contra eoſdem edidit anno 1743. ab Italis quibuſdam revolvi, commendari, ejuſdemque probari Doctrinam. Sibi certo perſuadent magnam ſcriptorum catervam ſe viſuros fore ad retundendos hominis Janſeniſtæ conatus. Ecquid, inquiunt, fallere hanc ſpem noſtram poterit? Si adeo ſtrenue ſectam noſtram exagitant, inſectantur: Si tanto æſtu fervent in errores de gratia: quo impetu non irruent in Doctrinam uſurariam, quæ recta animas inficit, atque enuat? In manibus modo habent hominis Janſeniſtæ, qualis eſt *Broederſen*, opus, in quo Doctrina tum Dogmatica, tum Moralis adulteratur, convellitur, labefactatur, & in opus adeo perniciosum tametſi Theologi *Schiſmatico-Janſeniſtæ* ne unus quidem Italorum, Hiſpanorum, Germanorumve calamum ſtringet? Unde quæſo tam altum ſilentium? Num inde, quod Doctrina *Broederſen* laxa eſt, cupiditati, & avaritiæ fovendæ valde apta, demulcendis Mercatoribus, & Magnatibus obſecundandis quam maxime conſentanea? Quid? Placent ne Libri *Janſeniſtarum*, dum probabiliſmo favent, dum *laxiſmum* promovent? Catholici ipſi in ſuſpicionem vocantur *Janſeniſmi Practici*, ſeu *Rigoriſmi*, dum opinionem, quæ ſeveritatem quampiam præferat, defendunt; & modo Nicolaus *Broederſen*, qui librum evulgavit, Calvini, Molinæi, Salmaſii, cæterorumque hæreticorum erroribus in Dogmate adverſus uſuram refertum, plauſu ſuſcipitur, quia avaritiæ, & cupiditati blanditur?

IX. Talia ſecum ratiocinari Janſeniſtas, qui Dogma Eccleſiæ adverſus uſuram propugnant, ipſe inaudivi. Quæ cum ita ſe habeant, quis eſt, qui non videat, quam gravis urgeat neceſſitas *Broederſen* confutandi? Id tamen ego ex inſtituto minime præſtabo, quod nec tempus ſuppetat, nec operæ pretium ſit. Sed pro re nata præcipua illius hæreticæ Doctrinæ capita explodam. Specimen univerſi operis ſuo loco ob oculos ponam. Sola quippe ſincera errorum expoſitio, prævalida confutatio eſt.

CAPUT

CAPUT IV.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in con-
„ tractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in
„ eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſua-
„ pte natura tantumdem dumtaxat reddi poſtulat, quantum
„ receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum:
„ Ideoque ultra ſortem aliquid ipſius ratione mutui, ſibi
„ deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum,
„ quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

§. I.

Quæ in hoc Pontificiæ Epiſtolæ textu præfiniantur, quæve improbentur?

I. DUO perſpicue, eleganterque præfiniuntur. Unum, in quo uſuræ crimen ſitum ſit. Alterum mutui naturam præfert. Intelligi enim uſura nequit, mutuo ſublato, Idcirco prius quid mutuum, poſt quid uſura ſit, patefaciam. In Synopſi, quam *cap. 2.* Epiſtolæ Pontificiæ præmiſi, plures errores in eadem proſcribi aſſerui. Et ubinam, dicet quiſpiam, vel unicus in ea proſcribitur error? In deſcripto Textu duo damnantur. Siquidem notiones tum mutui, tum uſuræ, quas Catholici omnes tradunt, hoc in Textu perſpicue declarantur, confirmanturque. Ergo neceſſaria conſequutione proſcriptæ remanent duæ oppoſitæ notiones, quas uſurarum Patroni proprio marte excogitarunt, ut Dogma Catholicum adverſus uſuram penitus everterent. Nemini ergo in mentem veniat vanum, ſuperfluumque eſſe mutui, aut uſuræ notiones geminas exponere. Quin ab his tota quæſtio pendet. Omnes quippe tum Proteſtantes, tum Catholici uſuræ flagitium deteſtantur. Diſſidium vero eſt quid uſura ſit, & ubinam propriam Sedem habeat. Hæc duo autem luculenter, graviterque in hac ſua Epiſtola explicat Pontifex Summus. En quam jejuni controverſiæ illi ſint, qui nihil definitum, nihil proſcriptum in hac Pontificia Epiſtola credunt. Porro, ut pro modulo meo omnia in bono lumine ponam, primum certam, communemque mutui notionem dabo; deinde ERRORES, ſeu falſas finitiones, quas uſuræ defenſores commenti ſunt, refellam.

II. Illud

II. Illud Lectoribus recordor, me in præsenti Epistolam Pontificiam interpretari, atque adeo illa dumtaxat puncta, quæ in eadem continentur, me declaraturum fore. Commentatio ergo Lector expectet, secus integrum de usuris tractatum Dogmatico-Moralem. Ejusmodi tractatus Doctrina, & eruditione refertissimi plures jam editi sunt adversus Molinæum, Salmasium, *Broedersen*, aliosque ejusdem opinionis. Præstant inter cæteros, ut supra dixi, Jacobus Gaytte Doctor Parisiensis, Natalis Alexander Doctor Sorbonius, Author Operis inscripti: *Dogma Ecclesiæ circa usuram*. Denique Petrus Ballarinus Presbyter Veronensis insigne hoc de argumento Opus lucubravit a tribus jam annis, quod temporum calamitate adhuc typis minime prodiit, sed prodibit tandem ad publicam utilitatem. Legi illud, & exhausta in eo controversia tota est, ut mea præfert opinio. Actum itaque agerem ego, si quæ tot præclari viri illustrarunt, eadem repeterem. Ea sub examen inducam, quæ ad illustrandam Pontificiam Epistolam conferre existimabo.

§. II.

Communis Mutui finitio explicatur.

I. Plura de mutui nomine, ejusque ethymologia scribunt & Theogi, & Jurisconsulti. Pauca eligam, quæ rem ipsam spectant, missis plurimis, quæ solam præferunt eruditionem. Mutuum a mutatione ducunt, quod non eadem, quæ datur res, sed alia ejusdem generis restituatur. Hinc a commodato differt, ut optime explicat vetustus Grammaticus Agrætius apud Jacobum Gaytte *cap. 3. sect. 1. Inter commodatum, & mutuo datum non nihil distat. Commodamus amico pro tempore equum, servum, vestem, hanc ipsam rem, quam dedimus recepturi. Mutuo damus pecuniam, triticum, vinum, & his similia, quæ mutata recipi necesse est*. Quamquam verum hoc discrimen sit, tamen quia mutuum ad accipientis commodum datur, idcirco evenit, ut mutuum, non raro commodatum nuncupetur, ut plura vel ipsius Scripturæ sanctæ exempla demonstrant. *Deut. cap. 5. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare. Item psalm. 36. Tota die miseretur, & commodat. Et Ezechiel cap. 18. Ad usuram non commodaverit. Et tandem Luc. cap. 11. Amice commoda mihi tres panes*. Quemadmodum autem mutuum commodatum, ita, & com-

& commodatum mutuum appellari vulgo ſolet. At ejuſmodi vulgares loquutiones, minime impediunt, quin reipſa hæc duo diſcrepent, & duo ſint contractus omnino diverſi; idque apud omnes ſapientes, potiſſimum Catholicos, certum exploratumque.

II. Mutui ethymologiam inde ducit Paulus *lib.*2. *ff. de rebus creditis*, *quod ex meo fiat tuum*. *APPELLATA eſt autem mutui datio ab eo*, *quod ex meo tuum fiat*: *& ideo ſi non fiat tuum*, *non naſcitur obligatio*. Idem confirmat Juſtinianus *lib.*3. *Inſt. tit.*14. his verbis. *Quoniam nobis non eadem res*, *ſed aliæ ejuſdem naturæ*, *& qualitatis reddantur*; *inde etiam mutuum appellatum eſt*, *quia ita a me tibi datur*, *ut ex meo fiat tuum*.

III. Licet & Juriſconſulti, & Theologi diverſis verbis mutui finitionem promant, omnes tamen in eamdem rem conſentiunt. Illud etiam animadvertendum, morum actiones non poſſe ſevera definitione, ſed potius deſcriptione exprimi. Communior ergo mutui finitio hæc eſt: *Contractus*, *quo res uſu conſumptibilis in conſumptionis uſum traditur ea conditione*, *ut poſt aliquod tempus tantumdem reſtituatur*. Contractus locum generis occupat, ut diſtinguatur a pacto nudo. Res, quæ mutuo traduntur, numero, pondere, & menſura conſtant, uſuque dantur conſumendæ. Ad mutui rationem haud ſatis eſt, ut res tradendæ uſu conſumi poſſint; ſed requiritur, ut in conſumptionis uſum tradantur. Quæ enim uſu conſumuntur, ad pompam, oſtentationemque trahi valent, ut notat Ulpianus *lib.*3. *ff. Commodati*. *Non poteſt commodari id*, *quod uſu conſumitur*, *niſi forte ad pompam*, *vel oſtentationem quis accipiat*. Docet hoc idem D. Thomas 2.2. *q.* 78. Accedit, quod ſi res uſu conſumptibilis, non in conſumptione, ſed ad cuſtodiam tradatur, non mutuum, ſed depoſitum vocatur. Heinc conſequitur in mutuo non eaſdem res, quæ accipiuntur, ſed alias ejuſdem generis reſtitui debere. Si enim quæ acceptæ ſunt uſu conſumuntur, eædem ſane reddi nequeunt. Similes ergo reſtitui debent, ut vinum pro vino, triticum pro tritico, pecunia pro pecunia. *Poſt aliquod tempus*. Particula hæc ſignificat inter traditionem rei, & reſtitutionem fluere aliquod tempus oportere; alioquin inutile mutuum eſſet. Nequit ergo mutuator illico rem mutuo datam repetere, quamquam valeat mutuatarius ſtatim reſtituere. Tempus præſtitui poteſt inter partes, quo elapſo repeti mutuum poteſt; ſecus antea repeti, aut reſtitui debet. Si nullum præfinitur tempus, mutuator pro arbitrio repetere, poſt aliquod ſpatium, mutuum valet. Quantum vero interfluere tempus debeat, dum nulla dies præſtituta ſit, deſignari nequit. Apud Romanos ante decimum, apud

Hæbreos

Hæbreos ante trigeſimum repeti non poterat mutuum. Denique *tantumdem*, prodit, quod in mutuo non eadem numero res, uti diximus, ſed altera ejuſdem quantitatis, & valoris, reſtitui debeat. Quod perſpicue aſſeritur in Pontificiæ Epiſtolæ textu his verbis. *Mutuum ſuapte natura tantumdem dumtaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt.*

§. III.

ERROR PRIMUS, ET SECUNDUS
Evidenti conſequutione confixus ex communi mutui finitione in laudato Epiſtolæ textu probata.

I. Dupliciter error aliquis in *Apoſtolica Decretali* proſcribitur, aut expreſſe, aut neceſſaria conſecutione ex probata Doctrina profecta. Hac poſteriori via confixos aſſerimus in Pontificia Epiſtola duos errores, cum communi mutui notione ibidem probata pugnantes. Hoc idem intelligendum volo de aliis erroribus, quos infra profligabo. Lubet errores ipſos recenſere, quod conferat ad clariorem controverſiæ intelligentiam. Fatetur enim ipſe *Broederſen* in ſui *Tractatus Brevis pref. num.*24., *quod præcipua diſputationum circa uſuram cauſa, eſt varius intellectus mutui*. Et ille ipſe a communi mutui finitione recedens, peculiarem excogitavit errorem, qui ejuſmodi eſt: *In ſenſu Sacræ Scripturæ (inquit Broederſen Tract. Brev. pag.* 24.) *per mutuum, etiam intelligitur equus, currus &c. Atqui ex tali mutuo aliquando licet accipere lucrum. Ergo in ſenſu Sacræ Scripturæ falſum eſt, quod omne lucrum ex mutuo ſit uſura a Deo damnata*. Jam diximus aliquando in Scriptura mutuum pro commodato, & contra, uſurpari: At communis ſemper fuit, eſtque Catholicorum ſententia, quod ex mutuo lucrum nullum percipi jure poſſit. Equus, currus &c., & mutuo, & commodato dari poſſunt. Verum dum mutuo traduntur, nullum lucrum licitum eſt. Error ergo a pertiſſimus eſt ejuſdem *Broederſen*, proſcriptus in Epiſtola, in qua ſtatuitur *tantumdem*, & nihil amplius ex mutuo recipi jure poſſe.

II. SECUNDUS ERROR proſcriptus, ab ipſis Janſeniſtis inventus eſt, quemque refert *Barchmanus*, ſive Author operis inſcripti *Dogma Eccleſiæ* in ipſa *Præfat. pag.* 14. *num.* 22. illumque tribuit ipſi *Broederſen*, & alteri ejuſdem Sectæ. Inquiunt illi mutuum eſſe omnino gratuitum. Si gratuitum, repugnat ex mutuo recipi quidpiam poſſe. Quare ſi pecunia Diviti abutenda tradatur, tunc non eſt mutuum nuncu-

nuncupandum. Sed audiamus illorum argutationem, quam refert laudatus Barchmanus. *Mutuum gratuitum eſt*: *Ergo nos, qui pecuniam ad lucrum damus, mutuo non damus, adeoque nec uſuram committimus, quæ eſt lucrum ex mutuo*. Quo ratiocinio nihil ineptius, ne dicam dementius, excogitari poteſt. Conſequitur enim meram eſſe chimæram Dogma contra uſuram. Omnes fœneratores lucrum volunt. At dum lucrum volunt, nolunt mutuum. Fieri ergo nequit, ut fœneratores uſuram perpetrare valeant, etiam ſi velint. Nam dum volunt lucrum, nolunt mutuum. Fœneratores ſemper lucrum volunt, ergo ſemper nolunt mutuum. Numquam ergo uſuram committere, etiam ſi velint, poſſunt; cum uſura lucrum ex mutuo ſit. At nonne, inquiunt, mutuum opus eſt miſericordiæ, & liberalitatis? Dubio procul. Quid inde? Fines, & mutui officia, confundi non debent cum ipſa natura mutui. Finium, & officiorum violatio mutui naturam, non deſtruit, ſed inquinat. Uſura labes eſt, quæ inficit, non deſtruit mutui contractum, ut clarius, & fuſius infra dicam.

III. Craſſiſimus itaque error eſt *Broederſen*, qui tum in *Tract. Brev.*, tum in ipſo volumine *de Uſuris licitis &c. pag.* 42. *num.* 41. hæc ſcribit „ Itaque ſecundum Sacram Scripturam mutuum, ſi iſtud „ quod mutuo datur ſpectemus, ita poſſet deſcribi: *Mutuum eſt* „ *quodcumque proximo utendum datur, ita ut ſine ullo incremento* „ *reddatur*. „

IV. Si errorem hac in finitione clauſum internoſcere clarius velis, audi quæ continuo ibidem *pag.* 43. adjicit, ubi præfatam particulam *ſine ullo incremento* explicat. *Quia*, inquit, *ſi cum aliquo incremento res aliqua eſſet reddenda, eſſet alius contractus V.G. Locatio, Societas, Uſura &c.* Vides præjactum novi erroris fundamentum. Quoties lucrum ex pecunia alteri credita percipitur, non mutuum, quod gratuitum ſit oportet, ſed locatio, ſocietas, dicenda eſt, vel uſura licita, utpote ex locationis, vel ſocietatis contractu exacta. Locari enim pecuniam, quemadmodum, agrum, Domum, equum &c. contendit *Broederſen* cum Molinæo, Salmaſio, ſuoque Interprete Italo. Confundunt mutui effecta cum ejuſdem natura. Mutui eſſentia in hoc ſita eſt, quod res, quæ numero, pondere, & menſura conſtat, in conſumptionem abutenda tradatur, cum onere tantumdem reſtituendi, elapſo aliquo tempore. Quod gratis, & liberaliter, aut præſtituto lucro hoc fiat, naturam contractus non deſtruit: modi quippe hi ſunt contractum ipſum aut perficientes, aut inquinantes, ut dictum eſt ſupra, & dicetur infra.

§. IV.

ERROR TERTIUS,

Qui ex Pontificia Epistola damnatus infertur, quemque excogitavit Author libelli inscripti. Traité de la Pratique des Billets.

I. Prudens Jacobus Gaytte *cap.3. sect. 3.* finitionem mutui, quam citatus Author primus omnium excogitavit, prolixe refellit. Paucis nos rem expediemus, Hæc itaque docet Author libelli cap. 3. „ Le „ prest a proprement parler est un contract par le quel une per- „ sonne preste quelque chose pour estre consumée directement, ou „ indirectement par l'usage qu'en fait, ou en fait faire celui, qui „ emprunte .... Il est de la derniere importance de remarquer deux „ choses. La primiere est qu'il y à deux sortes d'usage, l'un de „ consomption, & destruction, & l'autre d'emploi, & d'accrois- „ sement. Les choses prestées se destruisent par le premier, & cel- „ les qui sont destinées pour le commerce s'augmentent par le se- „ cond. Le premier fait que les choses prestées deviennent steriles: „ & le second fait que celles qui sont employées dans le commerce „ deviennent fertiles. D'ou vient ce nom d'usu-fruit, qui signifie „ fruit, profit de l'usage „.

II. Duplex Author iste commentus mutuum est. Unum *consumptionis*. Alterum *incrementi*. Consumptionis mutuum appellat, quod Pauperibus traditur. Pauperes enim acceptam pecuniam, consumunt, ut vivant. Contra mutuum incrementi vocat, quod Mercatoribus datur. Mercatores enim acceptam pecuniam negotiationi applicant, eaque lucrum assequuntur; & ideo hæc non consumitur, sed fructificat, lucrumque parit. Distinctio hæc commentitia est, & ineptissima. Sive enim pecunia pauperibus, sive Mercatoribus tradatur, abusu consumitur. Quod ut evidentius fiat, duplex consideranda consumptio est. Una naturalis, aut physica, quæ usu destruitur; ut cum panis comeditur, vinumque potatur. Altera moralis; cum res immutata in semetipsa remanens, alienatur. Heinc pecunia suo usu consumitur, cum distrahitur. Quare Justinianus *lib.2. Just. cap.4.* inquit. *Pecunia numerata ipso usu assidua permutatione quodammodo extinguitur*. Porro mutuum iis in rebus situm est, quæ suo usu, aut physice, ut vinum, aut mortaliter, ut pecunia, con-

consumuntur. Quare mutuum reperiri nequit, quin ad abusum, seu consumptionem tradatur. Numquid pauper ipsam pecuniam non destruit? Non ne sicuti Mercator, accepta pecunia, merces emit; ita & pauper pecunia mutuo sibi data merces, quibus vivat, emit? Ambo, pauper, & Mercator, pecuniam moraliter destruunt. Hoc solo discrimine, quod pauper eam distrahit, ut unde vivat, habeat; Mercator in mercaturam convertit, ut lucrum assequatur. Hæc omnia extraria mutuo sunt, cujus natura ab his minime pendet.

III. Ex his palam est, quam falsa, quam fraudulenta sit laudata mutui distinctio. Eo quippe tendit, ut lucrum percep tum ex mutuo tradito Mercatoribus immune ab usura sit. Iste ergo est ERROR TERTIUS, qui ex nostra Pontificia Epistola proscriptus evincitur. Unicum quippe mutuum in eadem constituitur, unde usuræ crimen arcessitur. Pugnat quoque distinctio hæc cum omnibus definitionibus, quas sive Theologi, sive Jurisconsulti excogitarunt. De hac distinctione sic loquitur D. Jacobus Gaytte: *Hujus definitionis pravitas, ac falsitas, hinc etiam colligi potest, quod a cæteris omnibus mutui definitionibus, quæ tam ex Justiniano, tum ab utriusque Juris Doctoribus, ac etiam Theologis nostris proferuntur, dissentiat, discrepet, atque discordet; ut proinde non tantum suspecta nobis videri debeat, sed etiam prava, perversa, totaque ad fœnoris patrocinium excogitata.*

CAPUT V.

Duo Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. *quæ in discrimen adducta erant, definit. Alterum usuram peccatum esse. Alterum usuram in mutuo Sedem, locumque habere.*

§. I.

I. PAucis, sed significantibus verbis Pontifex Summus duo puncta, quæ sunt totius Controversiæ cardines, definit. Primum, usuram peccatum esse. Alterum, peccatum istud in mutuo proprium locum, sedemque habere. Verba Epistolæ Decretalis recurrant sub oculos. *Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam Sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam*

est receptam. Habes itaque, Sede Apostolica definiente, usuram absolute acceptam, nulla personarum diversitatis ratione habita, peccatum esse. Habes alterum; nempe peccatum istud in mutuo suam propriam habere Sedem, dum lucrum ex eodem supra sortem percipitur. Hæc duo perspicue, & partite definita sunt.

II. Ecquid opus erat, inquiunt nonnulli, hæc duo definire? Quis umquam illa in controversiam revocavit? Quis? Calvinus, Molinæus, Salmasius. Post Jansenistæ Schismaticæ Ultrajectinæ Ecclesiæ pseudo Canonici, quos inter *Broedersen* emicat. Tandem his accessere nonnulli etiam Itali. Hæc omnia sequentibus paragraphis palam faciam. Placet hic verba ipsius Calvini transcribere, ut pudore tangantur indocti nonnulli, qui ejusdem fere verbis usuram propugnant. De usuris Hæresiarcha disputat, & in expositione octavi præcepti, & in cap. 18. Ezechielis hæc habet: *Si ex Æquitate judicium facere convenit, usuras quaslibet absque exceptione damnare nulla patitur ratio. Debitor si tergiversando tempus extraxerit cum dispendio, & molestia creditoris, an consentaneum erit, eum ex mala fide, & frustratione lucrum capere? Nemo certe, ut arbitror, negabit usuras creditori solvendas esse, præter sortem, ut pensetur ejus jactura. Si quis locuples erit in suis nummis, fundum emere volens, partem aliquam Summæ ab altero mutuetur: Qui pecuniam numerat, an non poterit ex fundi reditu, fructum aliquem percipere, donec sors repræsentata fuerit? Multa ejus generis quotidie accidunt, ubi, quo ad æquitatem spectat, usura nihilo deterior erit, quam emptio. Nec vero arguta illa ratio Aristotelis consistit, fœnus esse præter naturam, quia pecunia sterilis est, nec pecuniam parit: Poterit enim ille, quem dixi, frustrator ex aliena pecunia quæstum uberem facere negotiando. Fundi emptor metet, ac vindemiabit. Verum excipient, qui contra sentiunt, simpliciter standum esse Dei judicio, qui generaliter omne fœnus populo suo interdicit. Respondeo, non nisi de pauperibus habere sermonem: Ideoque si cum divitibus negotium sit, liberum jus fœnerandi permitti, quia legislatorem unam notando, alteram de qua subticet, videtur non damnare. Si rursus objiciant, fœneratores a Davide, & Ezechiele in totum damnari, sententias illas ad normam charitatis exigi debere arbitror: Ideoque non damnari, nisi improbas exactiones, quibus creditor posthabita æquitate, debitorem suum onerat, ac premit .... Clare patet veterem populum ab usuris fuisse prohibitum, sed hanc fuisse partem ordinis politici fateri necesse est. Unde sequitur, usuras hodie non esse illicitas, nisi quatenus cum æquitate, & fraterna communione pugnat.* Mox videbit

bit lector hæc, quæ paucis Calvinus comprehendit, a *Broederſen*, ejuſque Interprete Italo fuſius propugnari. Nec eſt quod obtrudas, initium cauſæ ab invidia me arceſſere; quoniam non omnia, quæ Calvinus docuit, hæreſes ſunt. Fateor. Plurima vera docuit Calvinus; ſed de uſuris hæreticam doctrinam propugnat, ut ex Catholicis omnibus, & ex allata definitione BENEDICTI XIV. evidenter conſtat. Nec ego hæc reſcripſi, ut ex hæretico homine odium ſententiæ, quam oppugno, conflarem, quaſi hoc indigerem ſubſidio; ſed ut palam facerem, recentes uſurarum Patronos Calvini ad hoc quod attinet Doctrinam complecti, ejuſdemque hæreſim defendere. Quod porro hæc Doctrina hæretica ſit, non ideo evinco, quod Calvinus eam docuerit, ſed quod Eccleſia Romana eam damnet, ut verbo Dei, & Apoſtolicæ traditioni omnium ſæculorum oppoſitam, ut infra demonſtrabo.

§. II.

Quam neceſſario duos præfatos articulos BENEDICTUS XIV. *definierit, ex variis uſurarum acceptionibus evincitur.*

ERROR QUARTUS PROSCRIPTUS,

Quem docet Nicolaus Broederſen cum ſuo Interprete Italo.

I. Ut neceſſitatem, quæ ad definitionem Apoſtolicam promendam Sanctiſſimum Pontificem coegit, demonſtrem, errores oſtendam oportet adverſus præfatos duos articulos evulgatos. Authorum tamen Nomina ſilentio præterire conſtitui, ut in eoſdem officium, obſequiumque meum teſtatum faciam. Ad ſummum quandoque verba aliqua reſcribam, non Authore, ſed libro, & pagina indicatis, & hoc idem, nonniſi urgente neceſſitate præſtabo; ne videlicet dicant, me hoſtes, quos feriam, fingere, & cuipiam pro ingenio errores imponere, nullo, ubi ſint, indicato veſtigio. Ad rem ipſam.

II. Uſuram *compenſatoriam*, ut vocant, quæ abſolute uſura non eſt, cum lucratoria Calvinus omnium primus confudit, ut vocis invidiam declinaret. Si enim compenſatoria, quidni & lucratoria, inquit ille, licita, & innocens erit. Verſutiam Hæreſiarchæ omnes poſteriores uſurarum Patroni æmulati ſunt. Integros fere libros infumunt, ut huic amatæ voci innocentiam aſſerant, vindicentque. *Uſuram lucis, uſuram vitæ*, ſcribit eloquentiæ Romanæ Princeps Marcus

Marcus Tullius. Ex digeſtis excerpunt, *Vſuras legitimas*: *ſub uſuris ſolitis*: Ex Codice *Minoribus uſuris*: *Indebitas uſuras*, *cum uſuris licitis*. Innumera ſunt, quæ ex Dictionariis Italis, Latinis, Græcis, & Hæbraicis promunt, ut evincant uſuræ nomen natura ſua nil mali prodere, ſed varias ſubire formas, aut æquitatis, ſi lucrum moderatum fuerit, aut injuſtitiæ, ſi immoderatum. Incredibili tædio Lectorem afficerem, ſi vel minimam eorum, quæ ad hanc vocem explicandam, verius dixerim implicandam, cavillandamque infarciunt, partem deſcriberem. Irrito tamen conatu res aggerunt. Nam omnium fere Gentium linguis, uſuræ nomen (ubi de mutuo res eſt) quid portentoſum redolet. Sed his omnibus, quæ ad controverſiæ caput nil conferunt, prætermiſſis, errores indicabo, qui neceſſaria conſecutione proſcripti remanent ex duobus articulis a Sanctiſſimo Pontifice BENEDICTO XIV. definitis.

III. Nicolaus *Broederſen lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 11. *pag.* 68. definitionem, quam Catholici omnes de uſura perhibent, quamque confirmavit Summus Pontifex in hac ſua Epiſtola, his verbis carpit, ſugillatque *num.* 106. „ Hic vero examinandum eſt, num uſura ſecun-
„ dum Sacram Scripturam, non ſit definienda. *Vſura & incremen-*
„ *tum ex mutuo exactum*. Ita cenſet Dominus Gaytte &c. (ubi n. 107.
„ hæc reſpondet). Supponit Doctor hic eum, qui pecuniam ſuam dat
„ ad uſuram, pecuniam ſuam mutuam dare, ut ex ipſa pecunia mu-
„ tuo data, *ideſt ex mutuo*, uſuram percipiat. Hoc eſt ſupponere
„ eſſe verum, de quo lis agitur. *Præterea quod ille ſupponit*, *evi-*
„ *denter falſum eſt*. Qui enim pecuniam ſuam dat ad uſuram, *pecu-*
„ *niam ſane mutuam dat*, ait ille. AT EGO CONTRARIUM
„ AFFIRMO: *Pecuniam ſane mutuam non dat*. Eo ipſo enim quo
„ aliquis mutuam dat pecuniam, IMPOSSIBILE EST EXIGERE
„ USURAM: MUTUUM ENIM DE SE EST GRATUITUM
„ AEQUE, AC DONUM. SICUTI IMPOSSIBILE EST EX
„ DONO ALIQUOD PRETIUM POSTEA EXIGERE, ITA
„ ETIAM EX MUTUO. *Adeoque*, *qui pecuniam ſuam mutuam*
„ *dat*, *non dat illam ad uſuram*. „

IV. Clarioribus ne verbis exprimi ERROR quartus poterat, videlicet, perperam ex mutuo definiri uſuram? Unus ex Italis ſcriptoribus, qui pro moderata uſura a divitibus percepta pugnarunt, non minus aperte Pontificiæ definitioni, ſeu univerſæ Catholicorum Doctrinæ ſe ſe opponit his verbis, pag. 298. *In ſoſtanza il definir l' uſura dal Mutuo*, *e contrario a tutta l' antichità*. Verba hæc reſcripſi, ut evincerem neceſſitatem Pontificiæ definitionis. Quid antiqui ſenſerint,

ferint, infra luculentis documentis in medium adductis, palam faciam. Insignem versutiam, ne dicam fraudem *Nicolai Broederſen* in adulterandis præfatis documentis manifestabo. Interim Theologi Catholici omnes, nemine discrepante, a Petro Lombardo ad hæc usque tempora, Thomas, Alexander, Albertus, Bonaventura, Scotus, Durandus, Antoninus, Bernardinus, cæterique omnes, etiam Jurisconsulti usuram ex mutuo definiunt. Omnes ne antiquitatis imperitissimi?

V. Sed agedum. Scriptura Divina, qua nihil vetustius, hæc præscribit *Exod.*22. & 25. -- *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec USURIS opprimes*. Respondet Nicolaus Broederſen *loc. citat. pag.* 69. „ Quid hoc ad rem? Legitur ibi vox *mutuum*. Ergo usura, secun„ dum Sacram Scripturam, est incrementum pecuniæ ex mutuo? ... „ Supponitur hic aliquis pauperi mutuam dedisse pecuniam. Hic „ duplici ratione pauperem illum potest lædere; altera dure, & in„ tempestive pecuniam mutuo datam repetendo: altera cogendo il„ lum, si pecuniam restituere nequeat, inire contractum usurarium. „ Si contractus hic celebretur, ipso illo contractu finitur contractus „ mutui, & fit novus contractus fœneratius; sicuti dum alter alteri „ domum suam per annum commodat, & finito anno, eamdem illi „ locat; simul ac contractus Locationis initus est, finitum est com„ modatum. Quod autem ex contractu Locationis postea inito acci„ pitur, non accipitur ex commodato; quia commodatum finitum „ est: Sic etiam quod ex contractu fœneratitio accipitur, *non acci„ pitur ex mutuo, quia mutuum finitum est*. Et sicut ex commodato, „ ita enim ex mutuo nihil accipi potest: tandiu enim quam ista subsi„ stant, non gratuita esse non possunt &c. „

VI. Nullus ergo ambigendi locus, *Broederſen* cum suis Catholicorum de usura finitionem rejicicere, atque adeo ipsum Dogma evertere. At si usura ex mutuo definiri nequit, in quo ergo sita usura est? In oppressione pauperum, in lucri excessu, reponit ille. At Scriptura & secundum literam accepta, & juxta omnium Patrum mentem, usuram ex mutuo perceptam asserit. Ut tam luculenta testimonia & Exodi, & Levitici eludat, ineptissimam obtrudit commentationem, quam retuliſſe, confutasse est. Unde eruit ex Scriptura mutuatorem, de quo *Exod.* 22. sermo est, debuisse alium contractum a mutuo distinctum inire, ut usuris pauperem trucidaret? Si alius celebratur contractus, aut locationis, aut venditionis, injustitia, non usura perpetrari valet. At *Broederſen* cum suis in solo pretii excussu,

aut

aut pauperum oppreſſione uſuram collocat, quem errorem infra refellam.

§. III.

Juxta Patres omnes notio uſuræ eſt lucrum ex mutuo exactum, aut ſperatum.

I. ERROREM ſuum *Broederſen* confirmat *lib.* 1. *par.* 2. *cap.* XV., ubi evincere contendit, neque ex Scriptura, neque ex Patribus erui communem noſtram definitionem poſſe; nempe *uſuram eſſe lucrum ex mutuo exactum, vel ſperatum*. Inquit enim *num.* 136. ſupra *cap.* XI. „ Uſuram ſecundum Sacram Scripturam eſſe ſortis ſupera-
„ bundantiam, vel incrementum, vel acceſſionem; nullibi vero in
„ illa definiri, *Lucrum ex mutuo, vi mutui principaliter inten-*
„ *tum &c.*, ut eam definire adverſariis placet. Quamvis ex dictis
„ ſatis conſtet, iſtas adverſariorum definitiones, eſſe rejiciendas:
„ attamen illud paulo latius pertractandum eſt „. Adeo inepte ratiocinatur homo iſte, ut refugiat animus cum illo certamen inire. Ex Scriptura probat uſuram *eſſe ſortis acceſſionem*. At ſors iſthæc quo titulo, quo contractu a mutuatore data eſt accipienti, ut cum illa exigendo incrementum, uſuram perpetret? Non mutui contractu, inquis. Quo ergo? Locationis? At incrementum tunc injuſtitiæ, non uſuræ crimen eſt; admiſſo, quod pecunia locari valeat. Hoc contendit *Broederſen* cum ſuis. Negamus vero nos Catholici omnes. Pergit Broederſen refellere Jacobum Gaytte, cui objicit, nullum textum ex Sacra Scriptura adductum oſtendere, uſuram lucrum eſſe ex mutuo.

II. Non modo laudatam definitionem, non deduci ex S. Scriptura, ſed neque ex Patribus contendit *Broederſen*, ibidem num. 139. his verbis: *Secundum SS. Patres memorata definitio etiam repudianda eſt*. Addit ibidem num. 142. *Uſuram eſſe acceſſionem ad ſortem ex MUTUO, neque habent verba illorum Patrum, neque ex illis colligi poteſt*. Quid reponendum eſt adverſus hominem negantem in meridie lucere Solem, ſereno Celo? Pauca hic ego tranſcribam, non ut Adverſarii duritiam emolliam (quæ nimia eſt, ac plane ferrea) ſed magis magiſque illuſtrandæ veritatis gratia.

III. S. Auguſtinus *Serm.* 3. *in Pſal.* 36. *n.* 6. -- *Tota die miſeretur, & fœneratur · Fœneratur quid eſt? Latine dicitur & qui dat MUTUUM, & qui accipit .... Si fœneraveris homini, id eſt MUTUAM pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus, quam dediſti, expectas*

expectas accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus, quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus quam dedisti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. Hominl Jansenistæ satisfacere deberet hic unicus Augustini textus.

IV. Audiat & S. Thomam 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *Accipere usuram pro pecunia MTUATA, est secundum se injustum, & propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniæ MUTUATÆ &c. accipere pretium, quod dicitur usura.* Textus Tertulliani, Basilii, Ambrosii, Gregorii, aliorumque cujusque sæculi Patrum, quos referunt D. Jacobus Gaytte, Natalis Alexander, Thomasinus, & alii, prætereo.

V. Alterum dumtaxat Textum producam, cui submittat cervicem *Broedersen* necesse est. Carolus Molinæus, usurariorum Coriphæus, usuram definit cum Philippo Melanchtone in suo tractatu de Foen. *num.* 6. *vet. edict.* hoc pacto: *Usuram lucratoriam, quæ est propriissima, & formalis usura, tum Theologi, quam Juris Professores, varie definiunt. Sed nemo umquam dexterius, & dilucidius, quam Doctissimus ille Philippus Melanchton in sua Epithome Philosophiæ Moralis, dicens: Usura est lucrum supra sortem exactum TANTUM propter officium MUTUATIONIS. Potest etiam sic brevius cæteris definiri. Usura est LUCRUM ex MUTUO exactum.*

VI. Quid ad hæc *Broedersen*? Quid illi, qui eum eodem ajunt, illum universæ adversari antiquitati, qui ex Mutuo Usuram definit? Mitto Testimonia omnium Catholicorum, qui a sæculo XII. ad hæc usque tempora scripserunt. Quid enim in re tam manifesta tempus prodigere juvat? Interim rogamus Authores Catholicos, qui libros edidere pro Usura vernacula lingua, ut perhibeant nobis finitionem, quam de usura, Ecclesia Catholica & ante, & post sæculum XIII. fidelibus suis exhibet. Dicent ne, Dogma adversus usuram clara, & perspicua notione non esse ab Ecclesia Catholica explanatum?

§. IV.

ERROR QUINTUS

A Salmaſio, aliiſque contra definitionem Uſuræ in Epiſtola Pontif. probatam, excogitatus.

I. Nicolaus *Broederſen* primus minime fuit, qui communem Catholicorum uſuræ definitionem rejecerit. Tanti ſane non eſt homo iſte, ut vel repertor novi erroris dici poſſit. Ab Hæreticis Calvinianis, quæ adverſus Catholicam Doctrinam ſcripturivit, mutuatus eſt. Claudius Salmaſius Grammaticorum, & politioris literaturæ, non ignarus, fuſius, atque ardentius cæteris pro uſura certavit, ac primus omnium cavillari cœpit uſuræ finitionem, ab omnibus ante ipſum probatam. Animadvertit Jacobus Gaytte, Salmaſium non ſolum naturam, & veritatem deſerere, ut errorem ſuum tueatur, ſed etiam communem animi ſenſum, & publicum loquendi uſum, ac morem relinquere, ut præ cæteris ſapere, atque ſingulari, & recondita eruditione cæteris præſtare videatur. Heinc cenſuram, & veluti dictaturam in alios exercere literatos, ſuoque judicio cenſorio, non Grammaticos modo, & Antiquarios, ſed Juriſconſultos etiam, Philoſophos, & Theologos, quarum facultatum innocens ſane, atque jejunus omnino eſt, corrigere, atque emendare auſus fuit; *quaſi unus præ cæteris* (concludit D. Gaytte) *verum viderit, ac ſapiens fuerit.*

II. Itaque errores Salmaſii circa uſuræ definitionem breviter perſtringamus. *Lib. de uſur. cap. 7.* definit fœnus hoc pacto: *Poſt datam ſeorſim definitionem mutui, quo gratuita datur pecunia .... definiatur ſic: Fœnus eſſe mutui dationem cum uſurarum ſtipulatione legitimarum pro creditæ rei qualitate, & contrahentium conditione. Sic omnes omnino uſuras, quæcumque ex mutuo fœnebri competunt, comprehendimus, quarum non unus modus eſt, ſed varius lege permiſſus pro rei, quæ ſub uſuris creditur, qualitate, ejus, qui credit conditione, & illius, cui creditur.*

III. Multis opus non eſt, ut finitionis error probetur. Nemo quippe non videt, fœnus non eſſe mutui dationem, ut Salmaſius vult; ſed eſt acceſſio ad ſortem mutuo datam. Salmaſius contendit in hoc fœnus ab uſura diſtingui, quod fœnus ſit ſors ipſa ſub uſuris data: Uſura vero ſit acceſſio ad ſortem mutuo datam, ſive merces pecuniæ creditæ, ſortiſve locatæ. Duplex enim mutuum & ipſe diſtinxit; mutuum nempe gratuitum, & fœnebre. Quam diſtinctionem Author tractatus

des

des Billets in alteram distinctionem fere eamdem convertit ; nempe in mutuum *consumptionis*, & in mutuum *accretionis*, qua de re supra pauca diximus . Verum hæc omnia levia sunt . Graviora videamns .

IV. Definitio usuræ, quam Salmasius tradit, hæreticam suam doctrinam prodit. Sic quippe illam definit *lib. cit. cap.5. Quidam ita Usuram definiunt : Usura est lucrum supra sortem exactum tantum propter officium mutuationis, quæ multis modis non mihi probatur . Prima usura non est proprie lucrum, sed merces ; nec propter officium mutuationis accipitur; sed propter usum pecuniæ. Aliud autem est merces, aliud lucrum. Hoc adventium est, & extra rem ; illa profectitia ex ipsa re*. Communi improbata definitione suam promit, qua usuræ errorem occultare studet, Non lucrum, dicendam usuram vult, sed mercedem .

V. Neque putes de sola voce litem hic esse . Voces semper variare hæretici solent, illamque seligere, quam propagando errori commodiorem agnoscunt . Confundit Salmasius mutuum gratuitum cum commodato, & mutuum fœnebre cum locatione . Hic totus latitat error . Quoniam sicut pensio ex locatione agri justa est, ita mercedem ex pecuniæ locatione justam esse contendit ille. Sed Salmasium ipsum audiamus . Pergit itaque sic : *Non igitur brevius, aut verius potest usura definiri, qaam esse mercedem pro usu pecuniæ mutuo datæ. Multæ quidem aliæ res præter pecuniam in mutui contractum cadunt, & usuræ ex aliis pluribus causis debentur, quam ex mutuo : Præterea certum est, eas non aliter in plerisque casibus Jure Civili Romano deberi, nisi in stipulationem adductæ sint, quæ omnia tamen, non est necesse definitione comprehendere: Quæ enim ex alia causa, quam ex mutuo debentur, ad exemplum usurarum mutuatitiarum constitutæ sunt & præstantur citra conventionem vel ex lege, vel ex officio Judicis. Ex lege, ut usuræ rei judicatæ. Ex officio Judicis, quarum modus æstimandus Judicis arbitrio permittitur, ut in omnibus bonæ fidei judiciis ; idque ex more Regionis, in qua contractum est, ut habetur lib.1. ff. de usuris. Satis igitur fuerit si definiamus hoc modo. Usura est merces pro usu rei mutuo datæ, sive ex stipulatu, sive alia conventione debeatur præstanda.*

VI. Quod Salmasius mercedem potius, quam lucrum in usuræ definitione collocare velit, fortasse existimabis litem esse de voce ; sed falleris . Merces ex justitia debetur ; lucrum injuste repeti potest . Mutuum dari contendit Salmasius non ad abusum, seu consumptionem, sed ad locationem, non secus ac locatur Domus . Loquatur Salmasius ipse . *Qui pecuniam suam dat mutuam (prosequitur ibi) &*

pro uſu ſtipulatur uſuram, quaſi mercedem, non in lucro id magis deputandum, quam quod ex Ædium locatione mercedis adeptus eſt, aut ex agro, quem Colonus exercendum locavit. Quod ex opera ſua capit Bajulus, non id ei liceri vicem obtinet, ſed pro mercede eſt laboris, quem impendit. Merces denique eſt, quod quis ex merito capit pro re, quam dedit, aut opera, quam præſtitit, atque inde nomen a mercendo; nam & mercenarii dicuntur, qui mercedem ex ſuo labore, vel opere capiunt; Lucrum vero ob nullum meritum percipitur: Locatur autem pecunia, quæ fœnore datur. non alio modo, quam ædes, aut ager, aut opera, pro quibus merces exigitur ab his, qui ea conduxerunt &c. Nulla igitur harum definitionum placet, quæ uſuram lucrum eſſe ſtatuit ex mutuo exactum. Hæc omnia Italus Auctor operis *Dell' impiego del denaro* docet, ut infra patebit.

VII. Nullam igitur Salmaſius uſuram lucratoriam admittit. Quoniam proventus, qui pro uſu mutuatitiæ pecuniæ redditur, merces, non lucrum illi eſt. Immo nullam proprie dictam uſuram agnoſcit, ut fuſius *cap.* 7. explicat. *In genere omnes uſuræ quæcumque eas cauſa pariat, ſive fœnus, ideſt mutuum fœnebre, ſive aliqua earum, quas hic commemoravimus, compenſativæ ſunt: Et ſi verum quæris, omnes propter moram debentur: nec placent mihi, qui alias ex his compenſativas dici, & eſſe volunt, quæ in penſationem dantur eis, quod creditoris interſit pecunia ſua non caruiſſe: alias lucrativas, quæ ſcilicet præſtantur propter officium mutui &c. Qui pecuniam ſuam dat utendam gratis, beneficus & liberalis eſt: qui pro ejus uſu mercedem, hoc eſt uſuram percipit, non pro officio rem exigit, quod nullum eſt; ſed pro eo, quod ſua putat intereſſe pecuniæ ſuæ uſu non carere. NULLÆ IGITUR USURÆ, quæ pro mutui officio præſtentur, & nullæ proprie lucrativæ, ſed cum mercedis inſtar haberi omnes definierimus, quæ pro uſu pecuniæ mutuatitiæ dantur, nullas quoque eſſe compenſativas dicendum, quia merces genus eſt compenſationis.* Iſta quoque omnia ad amuſſim docet pluries citatus Italus Author Operis: *Dell' impiego del denaro*; ut patebit infra *cap.* 7. §. 6.

VIII. Hæ paulo fuſius ex Salmaſio reſcribenda cenſui, ut palam facerem, quæ ſit illius de uſuræ finitione ſententia, & ut hinc conſtaret, Recentiones a *Broederſen*, alioſque a Salmaſio ſophiſmata, quibus occultare uſuræ ſcelus nituntur, mutuo accepiſſe. Paucis nunc refellendus error eſt. Lucrum ex mutuo eſſe uſuram Salmaſius negat, ut errorem ſuum obtegat, nulla adducta ratione. Proventus quippe ex mutuatitia pecunia rediens ad creditorem, aut damnum, aut commodum, ſeu lucrum eſt. Non damnum; ergo commodum, ſeu

lucrum

lucrum, ut communis ſenſus habet. Patres, *Tertullianus*, *Baſilius*, *Ambroſius turpe lucrum*, *injuſtum lucrum*, vocant proventum uſurarium. Sed finitionis falſitatem evincit ratio, quam Salmaſius affert, cur merces, non lucrum vocari proventus ille debeat. Ratio porro iſta ejuſmodi eſt. Pecunia mutuatitia locatur, quemadmodum Domus, ager &c. Penſio, quæ percipitur ex locatione, non lucrum, ſed pretium, ſeu merces appellatur. At unde didicit Vir alioquin ſane acutus id in definitione collocare, quod eſt in quæſtione? Negamus nos locari pecuniam poſſe. Adfirmat ille. Aſſerimus nos in mutuo transferri non modo uſum, ſed pecuniæ dominium. Negat ille. Fallitur ergo turpiter, dum pro definitione obtrudit, quod in utramque diſputatur partem. Accedit, quod, admiſſa uſuræ finitione a Salmaſio excogitata, æque a Pauperibus, ac a Divitibus uſura percipi jure poſſet. Nullibi quippe Divina Scriptura, aut Jus, ſive Canonicum, ſive Civile prohibet exigere mercedem rei locatæ a Pauperibus, dummodo egeſtas extrema, aut gravis non ſit. Sed a Pauperibus uſuram exigere licitum eſſe negant omnes. Ergo futilis eſt Salmaſii definitio. Et tamen omnia fere, quæ Salmaſius docet, reſcripſerunt Authores Itali, qui ſe nec Salmaſium nec *Broederſen*, antequam pro uſura ſcriberent, legiſſe teſtantur. Vah miram ingeniorum conſenſionem!

IX. Ut autem clarius appareat, *Broederſen*, alioſque a Salmaſio mutuo accepiſſe argutationes illas, quas grandiloquentia exaggerant, pauca alia ex eodem Salmaſio tranſcribo. Inquit itaque cap. 8. *Qui ædes conducit, poſt finitum tempus locationis, ædes Domino reſtituit, præter penſiones, quas pro uſu Ædium præſtitit; Sic & in mutuo fœnebri ſortem pro ſorte reddit, quam accepit, præter uſuras, quas pro uſu pecuniæ ex pacto, aut ſtipulatione dependit. Hoc non eſt ſortem bis vendere, nec pro nihilo aliquid percipere. An pro nihilo computandum, quod tu, dum meis nummis uteris ſive ad ea, quæ tuæ poſtulant neceſſitates, ſive ad tua compendia, ego interim his careo cum meo interdum damno, & jactura? Et cum mutuum non in ſola ſit pecunia numerata, ſed etiam in aliis rebus, quæ pondere, & menſura continentur, ut in frugibus humidis, vel aridis, an qui indigent, mutuum, vinum, aut triticum dederit, quod uſuræ nomine pro uſu eorum conſequetur, pro nihilo id capere exiſtimabitur? Qui fruges meas in egeſtate ſua conſumpſerit, quas care emere ad victum coactus eſſet, aut qui eas aliis care vendiderit, præter ipſam menſuram, quam accepit, ſi aliquid vice mercedis propter uſum admenſus fuerit, an id injuſtum habebitur?*

X. Hanc

X. Hanc argutationem magni faciunt *Broederſiani*, minime advertentes Calviniſtam Salmaſium pugnantia loqui. Domus utenda datur, cujus uſus a dominio ſecernitur. Pecunia abutenda, ſeu conſumenda traditur, ut infra evidenter demonſtrabo. Perperam ergo locationem pecuniæ, agrorum æquiparant locationi. Quod *Broederſen* cum ſuo Italo Interprete excludat ab uſuræ definitione mutui vocem, non propterea re diſcrepat a Doctrina Salmaſii. Sed quiſque eas venari ſtudet voces, quas occultando uſuræ errori opportuniores reputat.

§. V.

ERROR SEXTUS,

Qui proſcriptus infertur ex laudato Epiſtolæ Pontificiæ Textu, quemque nonnulli Recentiores docent, ſingularem aliam de uſura finitionem invehentes.

I. Hanc aliam commenti ſunt definitionem noviſſimi uſurarum Patroni: *Acceſſio ad ſortem ex mutuo pauperibus dato exacta. aut ſperata*. Molinæus ex quo docuit, uſuram aliquam licitam eſſe, male audire cœpit, ejuſque doctrina reputata a Catholicis fuit tamquam hæretica. Temporis curſu ut omnis ars, ſic & Theologia nova in honeſtandis vitiis profecit. Doctrinæ Molinæi propugnatores uſuræ vocem declinare ſtuduerunt. Intellexere ſiquidem quam certum, firmumque ſit in Romana Eccleſia uſuram quamlibet a Deo vetitam eſſe, illiuſque fidem in ſuſpicionem adduci, qui oppoſitum ſentiret. Quapropter novam affinxere uſuræ larvam, *novamque definitionem* commenti ſunt, quam hic exhibeo. Molinæus omne lucrum ex mutuo exactum uſuram candide dixit, veramque uſuram eſſe cenſuit, ſive a Divitibus exigatur, ſive a pauperibus. Secus philoſophantur acuti, & politici quidam Juniores. Cum Molinæo docent lucrum a Mercatoribus, & a Divitibus perceptum honeſtum eſſe, juſtumque. A Molinæo diſſentiunt, contendentes non modo juſtum eſſe, atque honeſtum lucrum illud, verum etiam negant uſurarium vocandum, niſi ſit nimium, & excedens. Et omnem uſuram in hoc exceſſu ſitam damnant. Sciunt Catholicis compertum eſſe uſuram quamlibet vetitam fuiſſe a Deo. Et nos, inquiunt, iiſdem accedimus, dum negamus lucrum exactum a Divitibus propter officium pecuniæ datæ ad lucrandum, vocandum eſſe uſuram. Solum illud lucrum *uſura eſt*, quod aut eſt nimium, aut ab indigentibus percipitur: & hoc a lege Divina prohi-

prohibitum asserimus. Hoc pacto omnis usura a Deo vetita est. Quid inde? Vetitum ne erit ex pecunia data Divitibus ad lucrandum proventum moderatum exigere? Minime gentium. Sic argutatur *Broederſen* cum suo Interprete Italo. Sciant autem viri isti, & Scripturæ, & Patribus, & universæ Jurisprudentiæ principis sese opponere, dum talia docent. Hæc usuræ finitio, *Acceſſio ad ſortem ex mutuo indigentibus dato exacta, aut ſperata*, chimærica est, sola vafritie parta, ad usuræ invidiam declinandam solius novæ vocis intrusione.

II. Molinæus itaque non duplex mutuum, sed duplicem mutui usum distinxit, ut etiam advertit D. Jacobus Gaytte, qui præcæteris Molinæum, novosque usuræ Patronos exagitavit. Accessionem ad sortem a quocumque sive paupere, sive divite perceptam, usuram nominandam vult. Illud vero contendit, usuram exactam a divitibus, qui pecunia mutuo accepta res suas amplificant, non esse a Deo prohibitam, dummodo moderata sit. Doctrinæ substantiam ambabus ulnis amplexati sunt *Broederſiani* in sola voce a Molinæo dissidentes, quod nolint, ut diximus, lucrum moderatum a Divitibus exactum appellari usuram, sed honestum proventum. Hoc tamen modo adfirmant, modo negant, & perpetuis se jugulant antilogiis. Verum ejusmodi distinctiunculæ gerræ sunt, & nugæ inanissimæ. Hoc pacto fornicatio, honestus congressus cum Muliere Divite, prolem educare valente: Adulterium, accessus ad alterius uxorem, Marito consentiente, nuncupari, sin potiori, saltem eodem prætextu posset. Quam sit laudata definitio futilis, nemo, qui prima Dialecticæ elementa, vel extremis degustavit labiis, non videt. In qualibet causa primum omnium conveniat necesse est inter disputantes quid sit res, de qua ineunda disputatio sit: alioquin disputationi locus nullus. Porro *Broederſiani* pro definitione constituunt, quod ab illis omnino probandum esset. Omne lucrum a quocumque perceptum, propter mutui officium, usuram nos appellamus. Negant hoc illi. Ut autem id evincant, in ipsius usuræ finitione propriam comprehendunt sententiam, nostramque excludunt. Heinc patet non minus novam esse illorum de usura Doctrinam, quam sit eorum Dialetica. Accedit, datam definitionem ex falio capite vanam esse, ineptamque; quoniam, missis istorum figmentis, juxta omnes, & vel ipsum Molinæum, quælibet accessio supra sortem, ex mutuo unicuique dato exacta, aut sperata usura est. Neque vero in re apertissima diutius immorandum existimo.

III. ERROREM SEPTIMUM commentus est Author tractatus *des Billets*. Hactenus vidimus Calvinum Molinæum, Salmasium confi-

confitentes lucrum illud, quod a Mercatoribus, qui ex pecunia mutuatitia quæſtum faciunt, exigitur, uſuram vocari: Sed hi moderatam uſuram innocentem volunt, ut jam dictum ſupra eſt, vel quod charitati non repugnet, ut docent Calvinus, & Molinæus, vel quod merces ſit pecuniæ creditæ, ut ſentit Salmaſius. Noviſſimi uſurarum Patroni ut probrum, infamiamque uſuræ effugiant, imperitorumque aures demulceant, mentemque infatuent, uſuram omnem iniquam, flagitioſam, Divinæque legi contrariam eſſe plenis buccis effantur; At negant (non ſemper tamen) pernegantque lucrum moderatum a Divitibus, qui ex accepta pecunia proventum comparant, uſuram eſſe. Iſtorum ſententiam confirmat Author Tractatus *des Billets*, qui, ut ſupra vidimus, duplex mutui genus commentus eſt. Opinionum, & doctrinarum intima conjunctio, & affinitas, eadem ſæpe repetere nos cogit.

IV. Duplicem itaque uſuræ finitionem nobis porrigit D. *Coreur*, Author Tractatus *des Billets cap.* 7., quarum alteram ex S. Antonino, alteram ex S. Thoma erutam contendit. En ejuſdem verba. *On rapportera deux definitions de l' uſure, qui ſont les plus ordinaires, & les plus recuës dans l' Eſcole pour ôter tous les pretexte, que l' on pourroit prendre de conteſter les principes, ſur les quels on s' appuye. La primiere eſt tirée de Saint Antonin, & la ſeconde eſt tirée de Saint Thomas. 1. Saint Antonin 2. part. tit. 1. cap. 6. §. 1. dit que l' uſure eſt un profit, que l' on pretend tirer d' une choſe principalement, parce qu' on l' a preſté.* Lucrum ex mutuo principaliter intentum..... *On dit enfin parce qu' on l'a pretée, c' eſt a dire que c' eſt un profit que l' on prend preciſement a cauſe du preſt. Il paroit par cette definition qu' il n' y a aucune uſure dans les traitez, ou il n' y a aucun preſt a proprement parler, parce que l' uſure ſe commet ſeulement dans le preſt.*

V. Altera, quam ex S. Thoma 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. finitionem promit, ejuſmodi eſt: *Saint Thomas dit que l'uſure eſt le prix del'uſage de l'argent preté.* Uſura eſt pretium uſus pecuniæ mutuatæ. *On dit que l' uſure eſt le prix, c' eſt a dir la valeur. Il a deux ſortes de prix. L'un qui eſt juſte, & autre, qui eſt injuſte. Le prix eſt injuſte en deux manieres. Primierement il eſt injuſte lors que l' on eſtime une choſe plus qu' elle ne vaut, ce prix s' appelle exceſſif. Secondement il eſt injuſte lors que l' on penſe que une choſe vaut pour un profit, que elle ne produit pas. Saint Thomas parle du prix injuſte de la ſeconde maniere. Il conſidere donc l' uſure comme une injuſtice. On ajoûte (que c' eſt le prix de l' uſage) non de uſage d' employ, & d' accroiſſement*

mais del' uſage de conſumption, & de deſtruction, parce que c' eſt le prix de l' uſage de l' argent prêté. Or l' argent prêté, ſe conſume indirectement par l' uſage. On dit en fin que c' eſt le prix de l' uſage de l' argent prêtê. Saint Thomas parle du preſt a proprement parler tel, qu' on l' a expliquê dans le chopitre troiſieme, & non du preſt de commerce dont on parlera dans la ſuite.

VI. Diſtinctionis iſtius futilitatem ſupra explosimus. Confundit quippe Author iſte mutui effectus cum mutui natura. Mutui contractu res, quæ pondere, numero, & menſura conſtat, ita in conſumptionem datur, ut accipientis fiat, ea lege, ut tantumdem ejuſdem generis, poſt aliquod tempus reſtituat. Quod poſtea debitor acceptam pecuniam in negotiationem, in luxuriam, in ludum, in victum, aut veſtitum inſumat, quod eam in mare projiciat, quod in ſcrinio incluſam conſervet, extraneum plane eſt mutui naturæ. Uſus pecuniæ acceptæ conſequitur mutui naturam, atque adeo eam ingredi nequit. Falluntur, ut toties dictum eſt, uſurarum Patroni, dum negant pecuniam in negotiatione conſumi. Æque enim conſumitur pecunia, dum alienatur ad merces emendas, ac ad cibos comparandos. Utrobique enim conſumptio moralis eſt, in alienatione ſita. His quiſquiliis, & technis implicant graviſſimum Eccleſiæ Catholicæ Dogma, & præceptum.

VII. At fraudem, dolumque retegamus oportet in adulterandis finitionibus ex S. Antonino, & Thoma adductis. Commentitiam finitionem Authoris iſtius *Coreur* conceptis verbis explodit loco ab eodem laudato paucis de more verbis S. Thomas. Inquit enim 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *Accipere uſuram pro pecunia mutata, eſt SECUNDUM SE INJUSTUM*. Nulla ergo ſive Pauperum, ſive Divitum ratione habita, ſed abſolute D. Thomas, & *ſecundum ſe* injuſtum aſſerit lucrum ex pecunia mutuatitia acceptum. Conditio Perſonarum pecuniam accipientium mutui naturæ extranea omnino eſt. Quid, quod illo ipſo loco Doctor Sanctus uſurarium lucrum eſſe docet ab ipſis Mercatoribus acceptum. Hoc quippe argumentum ſibi opponit: *Magis a ſe pecuniam alienat, qui eam mutuando Dominium transfert, quam qui eam Mercatori, vel artifici committit. Sed licet lucrum accipere de pecunia commiſſa Mercatori, vel artifici. Ergo licet etiam lucrum accipere de pecunia mutuata.* Cui objectioni hoc præbet reſponſum. *Ad quintum dicendum, quod ille qui mutuat pecuniam, transfert Dominium pecuniæ in eum cui mutuat; Unde ille cui pecunia mutuatur, ſub ſuo periculo tenetur eam reſtituere integre; Unde non debet amplius exigere ille, qui mutuavit: ſed ille, qui committit pecu-*

niam ſuam vel Mercatori, vel Artifici per modum Societatis cujuſdam, non transfert Dominium pecuniæ ſuæ in illum; ſed remanet ejus, ita quod cum periculo ipſius Mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur: Et ideo ſic licite poteſt partem lucri inde provenientis expetere, tamquam de re ſua. Diſtinguit hic Angelicus pecuniam mutuo Mercatori datam, a pecunia eidem in Societatem collata. In hac, ſecus in illa, transferri docet dominium: atque adeo aliquid lucri ex Societate, minime ex mutuo, exigi poſſe concedit. Fraude igitur ſumma Angelico Doctori imponit *Coreur*, dum effutit, S. Thomam definire uſuram relative ad Pauperes, ſecus ad Mercatores.

VIII. Non minori impoſtura definitionem S. Antonini in pravum ſenſum detorquet, depravatque. Verba Archipræſulis deſcribamus ex 2. *part.* 6. §. 1. *Prævideamus primo, quid ſit uſura, & exinde quomodo ſit falſa, & fraudulenta excuſatio ejus. Uſura ſecundum Goff. eſt quidquid ſorti accedit, præcedente intentione, vel pacto. Vel ſecundum alios, & clarius: Uſura eſt lucrum ex mutuo principaliter intentum: ut ſi mutuo tibi centum florenos, hac principali intentione, ut aliquid plus ultra centum recipiam: vel ſi mutuo tibi certas menſuras frumenti, vini, & olei, & hujuſmodi, quæ uſu conſumuntur, & plus ex hoc requiro, quam ipſum Capitale in valore, uſuram committo, ut dicitur* 14. *q.* 3. *uſura eſt. Et primam quidem fraudem, & dolum committit uſurarius, quando ex mutuata pecunia non quærit plus in pecunia numerata ſuo capitali; ſed in aliquo alio, ut frumento, vino, fructu Domus, vel agri ſervitio aliquo, vel operis, quod utique uſura eſt* 14. *q.* 43. *plerique*. Hanc eamdem definitionem fuſius explicat *cap.* 7. §. 1. *Definitur etiam ſic uſura, lucrum ex mutuo principaliter intentum. Lucrum dicitur proprie incrementum, quod quis habet ex voluntaria commutatione, ultra ea, quæ prius ſua erant &c., & dicitur mutuum, quaſi de meo tuum, quia transfertur dominium rei mutuatæ, in eum, cui mutuatur, & ſtat periculo ejus; unde proprie locum habet in his, quæ uſu conſumuntur, ut victualia, vel diſtrahuntur, ut pecunia numerata: & ideo debitor gravari non debet ultra reſtitutionem capitalis. Secus autem eſt in locatione, & conductione Domorum, & agrorum, vel equi, bovis, & hujuſmodi. Nam dominium non transfertur in accipientem, ſed remanet penes Dominum, & ejus periculo ſtat: & ideo licite ſperatur, & petitur lucrum pro re locata.* Ubi hic vel leve veſtigium definiri uſuram per reſpectum ad pauperes? Fraudulenta ergo eſt interpretatio *Coreur*. Si plura cupis, conſule D. *Gaytte*, qui fuſo calamo Authoris iſtius fraudem exponit. Plura dicenda occurrerent

rerent adversus Authorem Italum, qui non majori sinceritate laudatos SS. Doctores interpretatur.

§. IV.

Brevis animadversio in usuræ finitiones, quas ex Theologis, & Canonistis congerit Nicolaus Broedersen. Illius ERRORES, *& fraudes.*

I. Quoniam ex perspicua usuræ notione decisio pendet controversiæ; idcirco usurarum Patroni nullum non movent lapidem, ut communem Catholicorum definitionem implicent, obnubilent, corrumpantque. Nonnulla jam dedimus eorum, quæ adversus hanc definitionem congerit Nicolaus *Broedersen*. Usuram male definiri ex mutuo contendit, ut supra patefeci. Quia vero opportunam ille suæ erroneæ doctrinæ fucandæ finitionem reperire nequivit, omnium fere Catholicorum Theologorum, & Canonistarum definitiones congerit, singulas cavillatur & invicem illas pugnare contendit. Verbis tantum diversæ sunt, at re omnino eædem. Si tantum tibi, & otii, & patientiæ fuerit, lege illum *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* x., *& cap.* xv. In hoc solo postremo cap. pagina 35. implet solis definitionibus, quas ex variis Authoribus excerpsit. Centum equidem implere paginas deberem, si ejusdem recensere, non dico refutare, vellem sophismata, fraudes, & cavillos eo loco congestos. Num. 178. narrat S. Antoninum *eum usurarii criminis non condemnare, qui, cum voluit uti capitali suo ad utiliter negotiandum, aut emendas terras &c., alteri dictum caput, sive eam pecuniæ summam pretio utendam concessit.* Hæc refert *Broedersen*, ut insinuet lectoribus, Sanctum Archiepiscopum docuisse licitam hoc in casu esse usuram. In toto suo grandi volumine a capite ad calcem confundit compensationem damni, seu id, quod interest creditoris, cum usura lucratoria. Legatur D. Antoninus 2. *p. tit.* 1. *cap.* 7. §. xv., ubi hunc casum proponit. *Quid cum haberem pecuniam, & volebam ire ad nundinas, & ibi merces emere, & ad alium locum deferre, vel servare lucri causa certo tempore, vel possessionem emere. Tu indiges pecunia illa recipiens eam mutuo a me, offerens paratum te illam restituere cum lucro sperato in termino, & loco, est ne usura? Respondet Innocentius..... dicens, quod licet quidam contrarium dicant, ipse tamen putat hunc contractum usurarium; nec scit sic contrahentem excusare. Hostiensis vero in cap. Salubriter, dicit, quod talis est mihi obligatus ad interesse illius*

lius lucri &c. Joannes Andreas approbat dictum Innocentii ..., & hoc etiam placet Joanni Caldarino. Sed Joannes de Lignano dicit, quod quamvis COMMUNITER teneatur cum Innocentio, ne via fraudibus aperiatur, ipse tamen credidit veram opinionem Hostiensis, dummodo fiat nil in fraudem. Tutum tamen est ab hoc abstinere. Laurentius de Ridolphis. Quod etiam dicit Hostiensis de lucro, videtur intelligendum deducto etiam dubio lucri: cum scilicet potuisset etiam non lucrari, vel perdere, & ante factum prohibendus est, post factum vero in foro conscientiæ, ubi credendum est pro se, sicut contra se, cum asserit sine fraude feciſſe, videtur posse pertransire. Quod enim licitus sit talis contractus, simplieiter INTUITU PIETATIS factus, non in fraudem usuræ, tripliciter potest probari. Primo ratione æquitatis ... Secundo hoc licet ratione indemnitatis ... Tertio hoc licet ratione utilitatis.

II. Concludit autem his verbis. *Sed si extra casum necessitatis, & pietatis precibus amici hoc facit, tunc eo ipso convincitur, quod potius vult uti in usurario mutuo, quam in Mercatoribus, ut vero capitali; unde contractus erit usurarius.* Duo animadvertenda. Primum spectat impostaram *Broederſen*, imponentis S. Archiepiscopo, quod usuram lucratoriam, de qua est controversia, licitam aliquo in casu docuerit. Alterum recentiores Casuistas respicit, passim, & fere indiscriminatim admittentes lucri cessantis titulum.

III. Infinitus essem, si quæ *Broederſen* de solis usuræ definitionibus refert, expendere vellem. Puto enim plusquam sexcentos modos definiendi usuram illum recensere. Patientia, fateor, tanta mihi, vix fuit, illos omnes, vel cursim legendi. Infarcit quippe homo iste omnia, sive opportuna, sive importuna. Post relatas aliorum finitiones, scribit *pag.* 108. *num.* 218. *Mutuum secundum Sacram Scripturam, & SS. Patres, accipi pro donatione usus cujuscumque rei, supra ostendimus cap.* III., *& seq.* Verum quæ disputatio, Deus bone, esse cum homine potest, qui unum contractum specie diversum ab alio, pro alio accipit? Mutuum videlicet ille pro donatione habet. Hoc sat est, ut colligas, quanti sit faciendus Author iste.

CAPUT

CAPUT VI.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Contra Mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in Dati,
„ atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur,
„ quiſquis eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quo-
„ libet, vi mutui ipſius, cui per æqualitatem jam ſatis eſt
„ factum exigere adhuc non veretur: proindeque ſi acce-
„ perit, reſtituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione
„ JUSTITIÆ, QUAM COMMUTATIVAM appellant, &
„ cujus eſt in humanis contractibus æqualitatem cujuſcum-
„ que propriam, & ſancte ſervare, & non ſervatam exa-
„ cte reparare „.

ERROR CAPITALIS

Nicolai Broederſen, *& ejuſdem Itali Interpretis, qui defendunt in mutuo non transferri Dominium, damnatus in laudato Pontificio Textu.*

I. LUcrum receptum ratione Mutui reſtituendum jubet Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. vi juſtitiæ commutantis. Ergo in mutuo transferri dominium definivit. Conſequentia hæc adeo evidens, adeo neceſſaria eſt, ut nemo ſanæ mentis vel in diſputationem revocare eam valeat. Si penes creditorem pecuniæ mutuatitiæ dominium remaneret, is profecto vi Juſtitiæ commutantis haud eſſet aſtrictus lucrum acceptum propter officium mutuationis reſtituere ei, qui mutuam ſuſcepit pecuniam: Rei quippe ſuæ fructum accepiſſet. Nemo autem quod ſuum eſt, vi juſtitiæ commutantis reſtituere alteri obligatur. Uſuram juſtitiæ commutanti adverſari Romana Sedes definivit. Proſcriptum ergo Adverſariorum principium, cum charitate tantum pugnare uſuram aſſerentium.

II. ERROREM CAPITALEM hunc voco, quod ab hac dominii translatione tota pendet controverſia, quæ modo jam finita eſt, cum Romana Sedes definierit, lucrum fœnebre juſtitiam commutantem violare. Ipſi Adverſarii fatentur hoc potiſſimum eſſe controverſiæ caput. Ne gratis hæc aſſerere videar, unius Itali Interpretis

Broe-

Broederſani reſcribere vel invitus cogor verba ſequentia ex pag. 198.
„ Altra ragione viene appreſſo decantata ſopra tutte le altre: che
„ quando altri dà a intereſſe, *trasferiſce il Dominio*, di modo, che,
„ que' mille ſcudi non ſono più di chi gli diede; ma unicamente di
„ chi gli hà ricevuti. Or non è giuſto, dicono, che la coſa frutti ad
„ altri, che al ſuo Padrone, e non può chi la diede volerne ricavar
„ frutto, quando non è più ſua. *Queſto è il fondamento maſſimo, e*
„ *ſi può dire unico degli argomenti Avverſarj*; da queſto, hanno de-
„ ſunta la forza da loro voluta nel mutuo, e sù tal ſuppoſto ſogliono
„ procedere tutti i loro ragionamenti, e dottrine. *Conviene dunque*
„ *fare ampiamente conoſcere* quanto inſuſſiſtente così fatto appog-
„ gio ſia, e come il loro ſuppoſto da *alcuni equivoci* foſſe mera-
„ mente prodotto. Al che prima di devenire dover vuole, che ſi
„ chiegga a i dotti Moraliſti perdono: non ad altri, che ad eſſi ſteſſi,
„ vuol rimeſſa chi ſcrive la deciſione di queſto punto; ma implora-
„ do, che ſi degnino ſolamente di ſcorrere prima, e di eſaminare
„ quanto in pochi verſi ſi è quì per addurre.

III. Officii, & obſequii noſtri erga Cl. Scriptorem Italum ratio poſtulat, ut ab illo ipſo veniam, unaque facultatem unius veritatis manifeſtandæ imploremus & nos. Quænam veritas iſthæc? Hujuſmodi: nimirum jam ab uno, & amplius ſæculo Molinæum, poſt Salmaſium, Noodt, cæteroſque Calviniſtas, & noviſſime *Broederſen*, omnia, quæ ipſe Interpres ſcribit, & plurima alia robuſtiore efficacitate, & uberiore eruditione Catholicis oppoſuiſſe: & contra doctiſſimos Theologos hæc omnia ſeverius expendiſſe, & penitus labefactaſſe. Addiderim quinque ſæculorum intervallo fulgentiora Eccleſiæ Catholicæ lumina, SS. nempe Raymundum, Thomam Aquinatem, Albertum Magnum, Bonaventuram, Antoninum, Bernardinum, cæteroſque graviſſimos Viros, hanc in mutuo dominii alienationem, acri præmiſſo examine, adprobaſſe. Quid, quod ſapientiſſimi Juriſconſulti, & univerſa Juriſprudentia, tamquam veritatem extra aleam conſtitutam, exploratamque habet, in eum, qui accipit, mutuatitiæ pecuniæ dominium pertranſire? Quod porro his quinque ultimis ſæculis docuere Catholici, ſemper docuit Romana Eccleſia, ut mox dicam.

IV. Nicolaus *Broederſen* in ſuo de Uſuris licitis, & illicitis volumine *lib. 2. p. 2. §. 2.*, omnia de more conſarcinat, quæ Proteſtantes pro defendenda uſura ſcripſere. Utinam illorum ſaltem ſinceritatem imitatus eſſet. Fatentur illi in Eccleſia Romana oppoſitum defendi. At Janſeniſta *Broederſen* plane effrons lectoribus imponere

ſuis

ſuis ſtudet ; & Scripturam , & Patres , & Eccleſiam Romanam docere aſſerit doctrinam , quam ipſe cum ſuis propugnat . Pauca curſim indicabo , ut de corpore (ut ajunt) delicti nulla remaneat ſuſpicio . Num. 203. ſcribit . *In mutuo transferri plenum dominium , eſt contra S. Scripturam* . Pluribus ex vetere Teſtamento relatis teſtimoniis num. 206. addit : *Ab his non diſcrepant expreſſiones , quibus ipſe Dominus utitur in Evangelio* . Et n. 207. *Nunc examinemus ex multis aliquot SS. Patruum teſtimonia , & videbimus illos nihil minus cogitaſſe , quam quod verum , & perfectum dominium per mutuum transferetur* . His agglomerat innumera Ethnicorum documenta , & demum rationes . Quæ ideo indicavi , ut compertum omnibus ſit , *Broederſen* cum ſuis adverſus Catholicæ Eccleſiæ Doctrinam claſſicum canere.

V. Pauca nunc exhibenda veniunt eorum , quibus Catholici omnes evincunt in mutuo dominium transferri . Mitto Scripturarum , & Patrum documenta , quod hæc infra daturus ſim . A legibus initium capiam . Paulus *lib. 2. ff. de rebus creditis* , hanc regulam tradit . *Appellata eſt autem mutui datio ab eo , quod de meo , tuum fit , & ideo ſi non fiat tuum , non naſcitur obligatio* . Paulo ſuccinit Imperator *lib. 3. Inſtit. art. 15. Quoniam nobis non eædem res , ſed aliæ ejuſdem naturæ , & qualitatis reddantur ; inde etiam mutuum appellatum eſt , quia ita a me tibi datur , ut ex meo fiat tuum , & ex eo contractu , naſcitur actio , quæ vocatur condictio* . Luculentiora hæc ſunt , quam ut explicatione egeant . Invictam iſtius alienationis rationem leges ipſæ exhibent . Siquidem *l. 54. ff. de reg. Jur.* hæc habentur : *Nemo plus Juris ad alium transferre poteſt , quam ipſe habet.* At qui mutuo pecuniam accipit , in alium hominem , ejuſdem dominium transfert ; immo donare , ludere , legare , permutare , vendere rem mutuo acceptam valet . Dominus ergo illius eſt . Nemo quippe dat , quod non habet . Dat pecuniæ fœnebris alteri dominium : Habuit ergo ipſe prius . Si mutuatori dominium ineſſet , ubicumque is ſuos , ut ajunt , in individuo reperiret aureos mutuo datos , & a debitore diſtractos , repetere jure poſſet . Si conductores domorum , agrorum , equorum , hæc vendant , locatores in cujuſcumque manibus hæc reperiant , tamquam bona ſua auferunt , juris ordine ſervato . Quoniam ubicumque res fuerit , ad Dominum ſuum clamat : Secus accidit in rebus mutuo traditis . Quamobrem inquit Ulpianus. *Si fur nummos tibi credendi animo dedit , accipientis non facit lib. 13. ff. de rebus cred.* , quoniam fur ſurreptæ rei dominio non potitur . Accedit , quod ſecus fieri nequit . Mutuum enim ſitum eſt eis in rebus, quæ uſu conſumuntur . Quare nequeunt illæ ad uſum dari , quin

dentur

dentur ad abuſum. Quæ autem ad abuſum traduntur, neceſſario alienantur. Utique uſus facti ſeparari a proprietate valet. At jus utendi rebus conſumptibilibus, a proprietate, & dominio ſejungi nequaquam poteſt. Præterea debitor, non eamdem ipſam rem, quam accipit, reddere creditori debet; ſed aliam ejuſdem naturæ, quantitatis, & qualitatis. Alienatur ergo illa ipſa, quæ mutuo tradita eſt. Enimvero ſi alienata non eſſet, illa ipſa reſtitueretur. Poſtremum actio, quam mutuator ex mutuo indipiſcitur, non in rem eſt, ſed in perſonam. Si res alienata non foret, in ipſam rem conditionem, ſeu actionem creditor haberet. Quoniam Dominus vindicare rem ſuam jure poteſt. Mutuator autem rem, quam dedit, vindicare nequit: ergo illius Dominus eſſe deſiit.

VI. Unum, & alterum textum opponunt Salmaſius, & illius exſcriptores tum Tranſalpini, tum Itali. *Æs alienum eſt, quod Nos aliis debemus. Æs ſuum eſt, quod alii nobis debent. l. 213. ff. de verb. ſignif.* Idem Ulpianus *l. 55. ff. de ſolut.* hæc docet: *Qui ſic ſolvit, aut reciperet, non liberatur: Quemadmodum non alienantur nummi, qui ſic dantur, ut recipiantur.* Ulpianus hoc in poſteriore textu de ludicra, & jocoſa ſolutione loquitur, in qua ſic nummi dantur, ut iidem recipiantur. In mutuo nec iidem nummi, nec ſtatim repetuntur. Ideo oppoſitio futilis; potiſſimum quod Ulpianus ipſe, & univerſa Juriſprudentia in mutuo alienari dominium conceptis verbis docent. Prioris autem textus intelligentia hæc eſt. Æs alienum, & æs noſtrum dicitur, ratione juris, vel contractæ obligationis; ſiquidem non modo æs noſtrum dicitur ratione proprietatis, & dominii, verum etiam juris fictione noſtrum dicitur, quod jure, aut actione aliqua vindicare nobis poſſumus.

VII. Adeo luculenta hæc ſunt, ut Salmaſius ipſe concedere coactus fuerit in mutuo alienari dominium. *Dominium* (inquit de Modo uſur. cap. 14.) *rei mutuo datæ ad accipientem tranſit; quod quidem ideo fit in rebus ponderis, numeri, & menſuræ, quia aliter uſus earum concedi non poteſt, utpote qui in abuſu conſiſtat.* Duo tamen in nummis diſtinguit. Corpus metalli, & ejuſdem valorem. Corporum, non valoris, dominium alienari contendit. Papæ! Sibilis, & cachinnis Scituli noſtri excipiunt Scholaſticos diſputantes: *Utrum quantitas a corpore quanto realiter diſtinguatur*: Hi vero Eruditorum Ocelli, ut uſuræ flagitium propugnent, Metaphyſcam Scholaſticorum diſtinctionem rei negotiatoriæ, quæ Metaphyſicas rejicit abſtractiones, eruditiſſime applicant. Cedo. Quantitas ſeparatur ne reipſa a corpore quanto? Quis niſi demens in quantitates a corporibus,

poribus, & in hominum ideis ſitas dominari geſtit? Serio quæſo ratiocinentur Eruditi noſtri. Corpora nummorum cum eorumdem quantitate, & quantitas una cum corporibus in Debitoris dominium tranſeunt. Alienatio non ſpeciem, ſed individuum afficit. Non vinum, non oleum, non animal, ſed hoc vinum, hoc oleum, hic equus alienatur; quemadmodum non animal, non equus corrumpitur, aut generatur, ſed hoc animal, hic equus. Nulla ergo merces pro iſtorum accipi mutuatione poteſt.

VIII. Sed ad incitas redigamus Salmaſium ex iis, quæ ipſe concedit. Nummorum corpora, ipſo fatente, alienantur. *Quis enim* (*inquit Diſquiſ. de mutuo pag.* 11.) *unquam negavit res mutuatitias, ideſt pecunias, quæ dantur in mutuo, corpora nempe ipſa accipientis fieri, in eum dominium earum tranſire, ac proinde alienari*. Nummorum corpora accipientis fiunt, concedente Salmaſio. Sed corpora, minime quantitates, ſunt, quæ mutuo creduntur. Ergo nullum parere creditori pretium hæc poſſunt. Dicant quæſo nobis uſurarum Patroni: Quando ipſi emunt, aut vendunt triticum, vinum, & cætera ejuſmodi, quantitatem ne, an corpora emunt, venduntve?

IX. Verum, miſſo Salmaſio, cæteriſque hæreticis omnibus, ad *Broederſen*, alioſque illi adhærentes, orationem converto; & prætermiſſa argumentatione a ratione, legibuſque civilibvs arceſſita, ad authoritatem cauſam revoco. Certamen ineundum non eo ſpectat, ut impræſentiarum veram eſſe doctrinam de alienatione dominii in mutuo evincam, ſed ut factum patefaciam. Ajo ergo a Petro Lombardo ad hæc uſque tempora, Catholicos Theologos omnes, Juriſconſultos, & Sacrorum Canonum Interpretes, Pontificeſque omnes, docuiſſe dominium pecuniæ fœnebris in accipientem tranſire. Initium capio a ſæculo circiter XII., non quod priorum temporum Doctores eamdem non propugnaverint Doctrinam, ſed quod ab invecta Scholaſtica Theologia preſſius, & enucleatius diſcuti hæc quæſtio cœpta fuerit. Cæterum, ſi aliunde nobis antiquorum teſtimonia deeſſent, unanimis conſenſus omnium poſterioris ætatis Doctorum evidenter oſtenderet, omnium ſæculorum Doctrinam eamdem fuiſſe. Una quippe ſemper fuit, eritque Eccleſiæ Doctrina Fidei, & morum. Quid ergo *Broederſen*, & quidam alii Scriptores fucum imperitis faciunt, inquientes ſententiam hanc, quorumdam dumtaxat eſſe Moraliſtarum? Eſt ſane omnium, nemine diſcrepante, Theologorum. Si quis aliud ſenſit, damnatus fuit. Sed ut aliquo illi tangantur ſenſu, audiant nomina aliquorum dumtaxat, qui potiſſimum hanc propugnarunt ſententiam; videli-

cet SS. Raymundi, Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ, Alberti Magni, Alexandri, Scoti, Durandi, Antonini, Bernardini, ut mille alios prætéream. Quid, ſi unum ſolum Thomam Aquinatem in medium efferrem? His in ſola ſua Summa, quatuor integris articulis rem hanc diſcutit. Naturæ jura, officia, & quæ inde proficiſcuntur onera, & obligationes, tanta perſpicuitate, profunditate, & eruditione diſpicit, explanatque, ut nihil hactenus alicujus momenti Adverſarii in medium attulerint, quod ipſe in anteceſſum non labefactaverit. Quid de Alberto Magno? Quid de Bonaventura? Quid de Scoto? Quid de innumeris aliis dicam? Adverſus iſtos omnes claſſicum canit *Broederſen*, cum ſuo Italo Interprete. Quamquam non illum temeritatis arguo, quod aut adverſus Thomam, Bonaventuram, & omnes alios Theologos arma ſtrinxerit; quodque omnium Catholicorum Doctrinam refellere, vellicare, deridere auſus fuerit. Illum præcipue redarguo, quod Catholicus audire velit, eo ipſo tempore, quo ab omnium Catholicorum Doctrina recedit. Quid ad hæc *Broederſiani*? Negabunt ne Catholicos omnes docere in mutuo tranſferri dominium? Solem in meridie lucere inficiarentur? Illos provoco, ut vel unum præſtantem aut Theologum, aut Canoniſtam, aut Juriſconſultum non proſcriptum ab Eccleſia adducant, qui dominium non transferri in mutuo doceat.

X. Sed ratiunculas audiamus, quibus *Broederſen* cum ſuis *lib. 2. p. 2. cap. 7. §. 2.* negat in mutuo transferri dominium. Quas ex Scripturis, & Patribus, ex Jure Civili eruit, prætereo, ut nimium ineptas. Quas ab ipſo naturæ jure elicit perſtringam; eas nimium, quas etiam Auctor Italus pag. 199. & ſeq. ex Molinæo, Salmaſio, & *Broederſen*, opponit. 1. Nonne, inquiunt illi, poſt pecuniam mutuo datam jus mihi remanet illam quoad vixero, vendendi, donandi, de eaque teſtandi, non ſecus ac antea? Quis ergo dicet, meam non eſſe poſt mutuationem pecuniam præfatam? 2. Ut dominium transferatur, meus requiritur conſenſus. Interrogentur omnes mutuatores, & nemo unus aſſeruerit, ſe velle abdicare dominium pecuniæ, quam mutuo tradit. 3. Contractus, in quibus dominium tranſfertur, ſunt venditionis, & donationis. Porro qui mutuo dat pecuniam, eam nec vendit, nec donat, ſed locat. 4. Non eſt uſus cum dominio confundendus. Qui agrum locatum accepit, ſuo arbitrio colit, nec propterea illius eſt Dominus. Aliud eſt dominium utile, aliud proprietatis, aliud directum. Conſulatur Alvarus Pelagius de Planctu Eccleſiæ *lib. 2. cap. 56.*, ubi dominium ab uſu in rebus conſumptibilibus diſtinguit. 5. Quando alicujus Familiæ bonorum

Inven-

Inventaria fiunt, an omittuntur credita pecuniæ mutuo datæ? 6. Quid, quod omnes mutuatarii ſe debitores fatentur? Omnes teſtantur pecuniam mutuo acceptam, non eſſe *ſuam*, *ſed mutatoris*. Idque Ulpianus docet *lib.* 23. *ff. de verb. ſignif.* Heinc concludit vix reperiri punctum in diſputationem adductum tanta evidentia, ac iſtud, demonſtratum. Eccur ergo (ille ſubdit) Caſuiſtarum Turbæ oppoſitam doctrinam docent? Quia decepti uno Juris Civilis textu, falſo in ſenſu illum interpretati ſunt. Paucis verbis arcanum, inquit ille, reſeram. Alter, nempe debitor, dominus eſt uſus. Alter, nempe creditor, dominium habet. Pauca verba tranſcribo ex Itali Interpretis *Broederſiani pag.* 202., ne hæc gratis aſſerere videar: *Io crederei di poter dire, che pochi punti diſputati, ſi veggan ridotti a così manifeſta dimoſtrazione. Ma come dunque, dirà quì ogn' uno, la corrente de CASISTI, ſi accordò nella contraria opinione, e moſtra aver per principio primo, che ſi trasferiſca il dominio.* Audi & ipſum Nicolaum *Broederſen lib.* 2. *p.* 2., & 7. *nu.* 234. *pag.* 195. *Igitur cum ſecundum S. Scripturam, Sanctos Patres, omniſque generis ſapientes Ethnicos, communem hominum ſenſum, & loquendi rationem, non modo quondam, ſed & nunc, & rectam rationem in mutuo, non transferatur plenum, & perfectum ſortis dominium, ſequitur nequaquam poſſe affirmari OMNEM USURAM, ſive, ut dicunt Adverſarii, omne lucrum ex mutuo, ideo iniquitatis damnandum eſſe, quia ex re aliena, ſive in plenum, & perfectum alterius translata Dominium aquireretur.*

XI. Audiſtin ſingulares arcanorum Interpretes? Argutationes iſtæ viris a partium ſtudio alienis, nugæ videntur: admiranturque iſti in *Broederſianis* animi granditatem, qua adverſus univerſos Eccleſiæ Catholicæ Doctores Tribunal erigunt, & cenſoriam virgam in eoſdem nimis fidenter exercent. Sed quod omnes admirationis limites tranſilit, eſt, quod *Broederſiani* Catholicos ſe velint jactare, & ſententiam ab hæreſis ſuſpicione immunem defendere contendant, vel dum Doctrinam ab omnibus Catholicis propugnatam refellunt, contemnunt, conculcant. Nec hanc doctrinam impugnant tamquam rationem minus efficacem ad fulciendum Eccleſiæ Dogma adverſus uſuram; ſed eam oppugnant, quod potiſſimum hæreſim de uſura evidentiſſime manifeſtat. Sublata enim hac ratione in dominii translatione ſita, nulla alia efficax ſupereſt, qua probetur lege naturæ vetitam uſuram eſſe. Alterum ergo *Broederſiani* præſtent oportet: nimirum, vel illi doctrinam ſuam retractent, aut Religioni Catholicæ nuncium remittant. Nulla hic ad effugium via patet.

Quoniam ideo hi dominium transferri in mutuo pernegant, ut propugnent non omnem Uſuram eſſe vetitam. Quid ergo *Broederſen*, & Author Operis: *Dell' impiego del danaro*, cavillantur?

XII. Ad ſophiſmata, quæ ex eiſdem *Broederſianis* recenſuimus, reſponſa obvia ſunt. Et quidem ad 1. Jus poſt mutuationem remanet ad repetendam ſummam, quia cum onere reſtituendi tantumdem data fuit. Reſpondeant *Broederſiani*. In contractu venditionis tranſfertur ne dominium? Ajunt. Pretium in ipſa venditione non eſt ſolutum: ſed emptor ſoluturum ſe ſpopondit. Jus quod habet venditor ad exigendum hoc pretium, eſt ne verum dominium, ſive in pretium, ſive in agrum divenditum? Non audebunt adfirmare. Diſcant ergo eruditi homines illi, aliud eſſe habere actionem ad rem aliquam, aliud habere ſub dominio. Potes talem actionem, ſeu jus vendere, donare, legare; verum habet. Nunquid locare hoc jus vales, ante *realem traditionem*; & annuum proventum exigere? Locantur ne actiones ad rem? Et tamen locari poſſunt res ſub proprio *dominio* conſtitutæ. Rerum notiones ignorant, turpiterque confunt eruditi illi novæ Theologiæ Magiſtri. *Multum enim differt* (inquit Cicero in Topicis) *in arca ne poſitum ſit argentum, an in tabulis debeatur.* Boetius vero hæc Tullii verba explicans, inquit: *Nam quæ poſita in Arca pecunia eſt, juris eſt noſtri: In nominibus autem debita, non eſt noſtra. Nam quod mutuum datur, ex meo fit accipientis, atque ideo, non cogitur eamdem ipſam pecuniam debitor reſtituere Creditori; ſed aliam tantam.* Ad 2. Verum eſt dominium non transferri abſque libero conſenſu. Omnes vero qua voluntate mutuari, aut vendere volunt, eadem transferre dominium velint oportet in accipientem; hoc tamen adjecto onere, ut emptor ſolvat pretium, & accipiens mutuo pecuniam tantumdem non in ſpecie, ſed ſecundum genus reddat.

XIII. Non modo in venditione, & donatione, ſed etiam in mutuatione dominium transfertur. Quod ſubditur in mutuo pecuniam locari, quemadmodum locantur agri, & Domus, & equi, craſſus error eſt. Et tamen hoc eſt unicum fundamentum, cui Molinæus, Calvinus, Salmaſius, cæterique Hæretici ſuam fidunt Hæreſim de Uſura Lucratoria. Hæc unica ratio eſt, quam infeliciter adoptant *Broederſiani*; ſimulque hujus ope Catholicam propugnare doctrinam contendunt. Quin Italus *Broederſen* Interpres pag. 203. ſcribit, nullum in tota antiquitate veſtigium haberi doctrinæ, quam nemine diſcrepante, docent Catholici omnes a ſæculo XII. ad hæc uſque tempora: *Veſtigio di eſſa in fatti non avendoſi in tutti i monumenti*

numenti Eccleſiaſtici. Intrepida profecto aſſertio, quæ diſſimulari benigne potius, quam refelli deberet. Tamen, ne ſilentium noſtrum victoriæ ſibi vertat, accipiat quod ipſi luculentiſſimum exhibemus documentum. S. Joannes Chryſoſtomus, ſive quicumque ſit Operis imperfecti Author *hom.* 38. *in cap.* 21. *Matth.*, hoc præbet reſponſum ad oppoſitum ſophiſma: *Adhuc dixit aliquis. Qui agrum locat, ut agrariam recipiat, aut domum, ut penſiones recipiat, num eſt ſimilis ei, qui pecuniam dat ad Uſuram? Abſit. Primum quidem quoniam pecunia, non ad aliquem uſum diſpoſita eſt, ſicut ager, vel Domus, ſed ad pretium emendi, vel vendendi. Secundo, quoniam qui agrum habet, arat eum, & fructum accipit ex eo: Similiter, & qui locat agrum, vel domum, uſum dare videtur, & pecuniam accipere, & quodammodo quaſi commutare videtur lucrum cum lucro. Pecuniam autem ſi repoſitam in ſacculo teneas apud te, nullum uſum capis ex ea. Tertio ager, vel Domus utendo veteraſcit, pecunia autem, cum fuerit mutuata, nec minuitur, nec veteraſcit.* Franciſcus Hottomannus *tom.* 1. *cap.* 3. teſtatur *luculenter, ac prope Divinitus* (inquit Noodt *lib.* 1. *cap.* 7.) loqui Chryſoſtomum, ejuſque rationes *graviſſimas*, atque *eruditiſſimas* appellat. Hæc ſerio perpendat animo Antiquitatis Magiſter eximius.

XIV. S. Thomas ſophiſma, quod Hæretici, & *Broederſiani* noſtri tam alte exaggerant, ſibi proponit *in* 3. *diſput.* 37. *qu.* 1. *a.* 6. *n.* 5.

„ Præterea plus afficitur mihi debitor ille, in quem tranſtuli domi-
„ nium rei meæ, quam ille, cui ſolum uſum rei meæ commiſſi. Sed
„ in rebus, in quibus non transfertur dominium, ſi concedantur ad
„ aliquem uſum, licet inde aliquid accipere, ſicut patet *in locatio-*
„ *nibus domorum, equorum, & hujuſmodi. Ergo multo amplius*
„ *licet mihi accipere ab eo, in quem per mutuum pecuniæ meæ domi-*
„ *num tranſtuli.*

XV. Hoc eſt argumentum, quod ſibi proponit Doctor Sanctus, cum aliis quinque. Lubet totum Doctrinæ corpus tranſcribere „. Re-
„ ſpondeo dicendum, quod ab omnibus dicitur communiter, quod
„ dare ad uſuram peccatum mortale eſt. Sed diverſi diverſas ratio-
„ aſſignant. Quidam enim dicunt, quod ideo pecuniam pro certo
„ lucro concedere non licet (*ſicut Domum, vel equum, vel alia*
„ *hujuſmodi*) quia pecunia non deterioratur ex uſu, ſed aliis rebus
„ aliquid deperit ex uſu. Sed iſta ratio non eſt generalis: quia in
„ aliquibus rebus, pro quarum conceſſione aliquid poteſt accipi licite,
„ nihil ex uſu deperit; ſicut in conceſſione Domus ad uſum ad unum
„ diem: Et præterea pretium, quod accipitur, non commenſura-

„ tur

„ tur damno, quod accidit ex uſu rei. Non enim tantum deperit in
„ mutuo, quantum datur. Et ideo alii aſſignant aliam rationem,
„ quia videlicet, quando pecunia mutuatur, transfertur dominium,
„ quod non fit in Domo, & in aliis rebus. Juſtum autem videtur,
„ quod pro uſu rei, quæ mea remanet (ſcilicet Domus) aliquid ac-
„ cipere poſſim, ſed pro uſu (ſcilicet pecuniæ) quæ ſit alterius, ex
„ hoc ipſo, quod mutuatur, aliquid accipere, nihil aliud eſt, quam
„ accipere aliquid ab aliquo pro uſu rei propriæ, & ideo videtur,
„ quod eſt quædam exactio, & peccatum. Et hæc ratio ſatis proba-
„ bilis videtur. Et ideo ſimile accidit in omnibus rebus, in quibus
„ transfertur dominium per mutuum, ſicut granum, vinum, & hu-
„ juſmodi, pro quorum uſu nihil accipere licet ultra valorem ejus,
„ quod mutuatum eſt. Poteſt tamen &alia ratio aſſignari, quia om-
„ nes aliæ res ex ſe ipſis, habent aliquam utilitatem: Pecunia autem
„ non; ſed ex menſura utilitatis aliarum rerum; ut patet per Phil. 5.
„ Ethic.; & ideo pecuniæ uſus non habet menſuram *utilitatis ex ip-*
„ ſa pecunia, ſed ex rebus, quæ per pecuniam menſurantur, ſecun-
„ dum differentiam ejus, qui pecuniam ad res tranſmutat. Unde ac-
„ cipere majorem pecuniam pro minori, nihil aliud eſſe videtur,
„ quam diverſificare menſuram in accipiendo, & dando; quod ma-
„ nifeſte iniquitatem continet.„

XVI. Hactenus S. Thomas in corpore articuli. Poſt ad argumentum relatum paucis reſpondet: *Dicendum quod hoc ipſo, quod dominium pecuniæ transfertur, eſt ratio, quare pro uſu ejus nihil accipere debam, vel ſperare quaſi mihi debitum.*

XVII. Illud quoque argumentum ſibi opponit S. Doctor, quod magnificant uſurarum Patroni, & potiſſimum *Molinæus num.* 10., videlicet ſi Mercator ex mea pecunia lucrum, & commodum capit; quidni & ego partem exiguam lucri iſtius accipere potero? Quid tam conſentaneum rationi, quam quod particeps ſim commodi pecuniæ, quam ipſe tradidi Mercatori? Ille ex mea lucratur pecunia, & partem exiguam talis lucri mihi capere vetitum erit? Quæ lex, quæ ratio id vetat, aut jure vetare poteſt? Audiant *Broederſiani*, Molinæi, Salmaſii, & Noodt Exſcriptores ſinceri, hoc argumentum a S. Thoma propoſitum loco *cit. num.* 4. *Non minus poſſum accipere ab eo, cui beneficus extiti, quam ab eo, cui nullum beneficium contuli. Sed ſi aliquis, cui non mutuaſſem, aliquid mihi daret de ſuo, etiam ſi ſperaſſem accipere, licite detinere poſſem. Ergo & ab eo, cui beneficus extiti, mutuum concedendo, licet mihi aliquid expectare, recipere, & detinere.* Poterat ne clarius hodiernum objectum propo-

ni?

ni ? Audiant nunc reſponſum *Broederſiani*, qui buccis inflatis ineptam argutationem exaggerant, amplificantque :

XVIII. *Ad* 4. *dicendum quod ab eo, cui beneficium contuli, licet mihi tantum ſperare, & accipere, quantum feci, & non plus. Quidquid autem de utilitate contingit ei, cui mutuum dedi, ultra menſuram mutui ex pecunia mutuata, hoc eſt ex induſtria ejus, qui ſagaciter pecunia uſus eſt. Induſtriam autem ipſius ei vendere non debeo.* SECUS NEC PRO STULTITIA EJUS MINUS HABERE DEBEO.

XIX. Legant hæc, & alia plurima, quæ prætereo tum in Chryſoſtomo, tum in Aquinate *Broederſiani*, & cognoſcant nihil a ſemetipſis obtrudi, quod ab his, aliiſque Patribus, non fuerit penitus convulſum, dum errorem uſuræ a ſolis Hæreticis propugnatum refutarunt. Videbunt non confundi ab illis dominium rei, cum ejuſdem uſu. Ad 4. objectum reſponſio ex ſe patet. Alvarus Pelagius loquitur de uſu facti, quem vi voti Paupertatis licitum Franciſcanis aſſerit. At ſciant oppoſitores, aliud eſſe uſum facti; aliud jus utendi. Hoc in rebus uſu conſumptibilibus, non ſeparatur a Dominio. Theologiæ Tyronibns comperta hæc ſunt. Quæ 5., & 6. loco opponuntur, feſtiva ſunt. Mutuatores inter *ſua* credita recenſent pecunias mutuo datas. *Sua*, inquam, illa vocant, & ſunt reipſa, quatenus actionem ad eadem habent. Habent ne propterea verum in illa dominium? Utinam. Non fallerent, nec fallerentur. Eccur? Quod nequeant a debitoribus, qui ambitionem, faſtum, luxuriamque alere volunt Mercatorum diſpendio, credita *ſua* exigere; & datas ſub proprium dominium pecunias revocare. Cedo. Quid eſt Dominium? *Facultas utendi re in omnes uſus, & in proprium commodum*. Interoget Broederſiani Mercatores, vel Mutuatores, utrum valeant in proprium commodum uti pecuniis, quæ ſibi a debitoribus debentur, vel quas mutuas dederunt.

XX. Notiones rerum ignorant novi in Theologia Magiſtri, & dominium rei cum jure, & actione ad rem, nimis craſſe confundunt. Dominium fundatum in actione ad rem, a Juriſconſultis vocatur dominium largo modo acceptum, & *quadam juris fictione*, & ſub hac quoque fictione *noſtra* dicuntur, quæ nobis jure debentur, ut patet ex *ff. de verb. ſignif. L.* 143. *Nam id apud ſe quis habere videtur, de quo habet actionem: habetur enim, quod peti poteſt.* Plura hic dicenda occurrerent, quæ a meo inſtituto diſtant. Dominium, juris fictione dictum, imago, & ſimilitudo Dominii, non verum Dominium. Et ne res ad verborum cavillationem revocetur, illius proprie Dominium rei eſt, cujus commodo, & periculo reſtat, & cedit res ipſa, ut infra dicam. Debitoris

bitoris periculo ſtat pecunia fœnebris : & commodo , & lucro Creditoris ſtabit ?

XXI. Hæc pauca curſim delibavi , non ut rationes omnes in medium afferrem , quæ evincunt Dominium in mutuo transferri , ſed ut palam facerem *Broederſen* , ejuſque Italum Interpretem bellum Catholicis omnibus indicere , ut iſtorum principia , nempe translationem Dominii in mutuo fieri ; & in rebus , quæ uſu conſumuntur , Dominium ab uſu non diſtingui penitus evertant . Quomodo ergo pro Catholica ſuam nobis doctrinam venditare audent ? Catholici omnes docent in mutuo Dominium transferri in debitorem , ut heinc inferant uſuræ ſcelus juſtitiæ repugnare . *Broederſen* , aliique hoc principium ut ridicularium , futilequerejiciunt . Eccur ? Ut probent uſuram , ſeu lucrum perceptum licitum eſſe , & uſuram moderatam nequaquam adverſari legi ſive naturali , ſive Divinæ demonſtrent . Ergo luce clarius eſt , doctrinam *Broederſianorum* erroneam eſſe . Sint falſa duo Catholicorum omnium principia : nempe in mutuo transferri Dominium ; & in rebus , quæ uſu conſumuntur , uſum abſolutum non diſtingui a Dominio : Negari tamen nequit , quin Catholici omnes his principiis utantur , ut uſuræ peccatum demonſtrent . Hoc factum luculentum eſt ; Nempe *Broederſianos* negare in mutuo translationem Dominii : & adfirmare in pecunia uſum a Dominio diſtingui , ut evincant uſuram moderatam ab opulentis Mercatoribus percentam , non eſſe lege naturali , ſive Divina vetitam .

XXII. Paucis nunc ad incitas redigere *Broederſen*, ejuſque Doctrinæ Aſſertores lubet . Qui ſex priorum ſæculorum communem Patrum omnium doctrinam negaret , hæreſeos ne cenſuram vitaret ? Doctores Sancti poſterioris ætatis , ſunt ne minoris authoritatis in tradenda nobis Eccleſiæ Doctrina , ac fuerint priores ? Deſiit ne ſæculo XII. Apoſtolica traditio ? An non ſunt Eccleſiæ Doctores poſterioris ætatis Theologi Sancti ; ut Raymundus , Albertus Magnus , Thomas Aquinas , Bonaventura , Antoninus , Thomas de Villanova , Carolus Borromæus , quemadmodum vetuſtioris ætatis fuerunt Hieronymus , Auguſtinus , Ambroſius , Baſilius ? Deſeruit ne Deus his ultimis ſæculis Eccleſiam ſuam ? Cœci ne non modo Caſuiſtæ numero propemodum infiniti , ſed Pontifices Summi , potiſſimum Alexander III., Urbanus III., Clemens V., Pius V., Sixtus V., Alexander VII., Innocentius XI.? Cœci ne Doctores Sanctiſſimi, Aquinas , Raymundus , Bonaventura , Albertus , Antoninus, Bernardinus , Borromæus? Soli ne Calviniſtæ , Molinæus , & Salmaſius veri Prophetæ ? Soli ne Janſeniſtæ *Broederſiani* cum parvulo Aſſeclarum manipulo Divina illuſtrati ſapientia ?

XXIII. Sed habeantur pro nullis argumentationes hactenus factæ. Certe quæ sequitur nulla valet tergiversatione eludi, BENEDICTUS XIV. in hac sua Epistola Decretali definit, ut jam indicavimus, lucrum ex mutuo perceptum commutanti Justitiæ adversari. Mutuatorem omnem, qui talia lucra aquisierit, restitutioni obnoxium declarat: *Proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Justitiæ, quam COMMUTATIVAM appellant*. Antequam hanc diceret, rogaretque sententiam, nihil intentatum reliquit Pontifex Summus, ut quæ fuerit semper omnium Catholicorum Doctorum super hac controversia doctrina compertum sibi fieret. Si lucrum ex mutuo perceptum *Justitiæ commutanti* repugnat, restituendumque est vi ejusdem Justitiæ, tamquam res aliena, negari in posterum nequit, salvo debito Apostolicæ Sedi obsequio, pecuniæ fœnebris Dominium in accipientem transire. Aut ergo doctrinam typis editam retractent *Broederſen*, & ejus Italus Interpres; aut fateantur, se adversus Catholicorum omnium doctrinam pugnare.

CAPUT VII.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Neque vero ad istam labem purgandam ullum arcessiri subsi-
„ dium poterit vel ex eo, quod id lucrum non excedens, &
„ nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum
„ sit, vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mu-
„ tui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam
„ sibi mutuo summam, relicturus otiosam, sed ad fortunas
„ suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæ-
„ stuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus „.

§. I.

Doctrinæ Catholicæ capita adversus usuram.

I. ANtequam controversiæ starum ob oculos pono, paucis perstringo universæ Catholicæ Doctrinæ capita, quæ Sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in hac sua Epistola declaravit, confirmavitque. Sunt autem ejusmodi. 1. Usura omnis peccatum est. 2. Propria usuræ sedes, mutuum est. 3. Mutuum istud situm est

in traditione rei uſu conſumptibilis, ſeu in conſumptionem datæ, ut, poſt aliquod tempus, tantumdem ejuſdem generis reſtituatur. 4. Rei mutuatitiæ dominium in accipientem transfertur. 5. Lucrum fœnebre juſtitiæ commutanti adverſatur; propterea vi ejuſdem juſtitiæ reſtituendum eſt. 6. Lucrum iſtud ab uſuræ labe minime purgatur, vel ex eo, quod non ſit excedens, vel nimium, ſed moderatum, exiguumque: 7. Vel ex eo, quod a Divite, ſed a paupere ſit exactum: 8. Vel tandem ex eo, quod accipiens pecuniam mutuatitiam ſit eam ad fortunas ſuas amplificandas prædiorum emptione, vel quæſtuoſis negotiis utiliſſime impenſurus. 9. Ineptiſſima illa argutatio: „ Pecunia non mutuo, ſed ad lucrum, *ad intereſſe* datur: Ergo nihil definitum „ convulſa remanet.

II. Hæc ſunt Doctrinæ capita, quæ Sanctiſſimus Pontifex in hac ſua Epiſtola reipſa confirmavit. Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, intelligere quiſque potuit explicandæ, confirmandæque Doctrinæ neceſſitatem. Pontificia confirmationis verba ſunt ſequentia.

§. II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ His verbis complectuntur, & explicant ſententias ſuas
„ Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritiſſimi, quo-
„ rum conſilium in hoc graviſſimo negotio poſtulavimus. Nos
„ quoque privatum ſtudium noſtrum conferre in eamdem cau-
„ ſam non prætermiſimus, antequam Congregationes haberen-
„ tur, & ipſis etiam peractis. Nam præſtantium Virorum
„ ſuffragia, quæ modo commemoravimus, diligentiſſime per-
„ currimus. Cum hæc ita ſint, ADPROBAVIMUS, ET CON-
„ FIRMAVIMUS QUÆCUMQUE in ſententiis ſuperius ex-
„ poſitis continentur; cum ſcriptores plane omnes Theologiæ,
„ & Canonum Profeſſores, plura ſacrarum literarum Teſtimo-
„ nia, Pontificum Deceſſorum Noſtrorum Decreta, Concilio-
„ rum, & Patrum authoritas ad eaſdem ſententias comproban-
„ das pene conſpirare videantur. Inſuper apertiſſime cognovi-
„ mus Auctores, quibus contrariæ ſententiæ referri debent:
„ ET EOS PARITER, QUI ISTAS FOVENT, AC TUEN-
„ TUR, AUT ILLIS ANSAM, SEU OCCASIONEM PRÆ-
„ BERE VIDENTUR.

§. III.

Controverſiæ ſtatus pleno in lumine collocatur .

I. ERRORES, quos hactenus invectos adverſus mutui, & uſuræ notiones, & dominii pecuniæ mutuatitiæ alienationem recenſui, & refutavi, huc tendunt, ut uſuram moderatam a Divitibus perceptam, juſtam, honeſtamque efficiant . Verum tanta perſpicuitate errores iſtos penitus profligavit Pontifex Summus in hac ſua Epiſtola, ut omnis jam ſublata ſit penes Catholicos controverſandi occaſio . Interpretationis tamen ſuſceptæ ratio poſtulat, ut ad pleniorem controverſiæ intelligentiam, & ejuſdem dirimendæ neceſſitatem declarandam Adverſariorum erroneas opiniones in medium afferam . Siquidem non pauci excitatæ litis minus periti, ſuperfluam (ut fama eſt) exiſtimant Pontificiam Epiſtolam, quaſi nihil in ea probatum, nihil declaratum, nihilque damnatum ſit . Quæ explanata, & confirmata Doctrinæ Chriſtianæ capita in hac epiſtola ſunt, jam patefeci. ERRORES confixos plures recenſui . Verum quia ejuſmodi errores veluti viam ſternunt ad hæreticam propugnandam doctrinam, idcirco operæ pretium exiſtimavi paulo fuſius exponere ultima laudati Pontificis textus verba : *Inſuper apertiſſime cognovimus Authores, quibus contrariæ ſententiæ referri debent, & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis anſam, ſeu occaſionem præbere videntur .*

II. Compertum itaque, exploratumque Sapientiſſimo Pontifici eſt, quinam ſint Authores, qui contrarias Catholicæ Doctrinæ opinationes commenti ſunt . *Et eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis anſam, ſeu occaſionem præbere videntur .* Iſtorum ego, non omnium, ſed aliquorum textus dabo .

III. Carolus Molinæus (ſententiam Calvini ſupra reſcripſi) *tract. de uſur. num.* 10. hæc ſcribit : *Non eſt igitur uſura lege Divina prohibita, & illicita, niſi in quantu m eſt contra charitatem . Cum autem uſura multipliciter capiatur, illa ſola prohibetur, & damnatur, per quam charitas, & dilectio proximi offenditur, & ita præfata loca, & quæcumque ſimilia ſacræ paginæ intelliguntur . Finge Mercatorem non inopem, ut ex licita negotiatione ſuperlucretur, accipere mutuum, & promittere menſtruam, vel annuam uſuram vice portionis futuri lucri ; dices ne creditorem, qui non poteſt oſtendere quod tanti ſua interſit, & forte nullo modo alias intereſt, non poſſe licite poſtulare, nec*

recipere hujuſmodi uſuram ſine incommodo debitoris? Quidquid TURBÆ ille ſcripſerint, nihil hic video noxæ, nihil contra jus Divinum, aut naturale, quia nihil hic fit contra charitatem, ſed potius ex mutua charitate. Patet: alter beneficium mutui de ſuo concedit: alter benefactorem de parte lucri inde ſecuti, ſine damno ſuo, remuneratur. Ergo creditor licite, ultra ſortem recipit, eademque ratione ab initio in hunc eventum ita paciſci licet: infra tamen legitimum modum: & dummodo qui ſtipulatur, nullam proximo fraudem meditetur, neque uſuram inique exigat, immo nec recipiat quidem, ſi jacturam faciat debitor, ſed hoc tantum accipiat, & exigat, quod bona fide, & cum æquitate vellet a ſe accipi, vel exigi in eadem periſtaſi exiſtens, vel in ſimili neceſſitate deprehenſus.

IV. Pauca animadvertas velim. Primum hunc textum aliis verbis tranſcriptum offendes in recentioribus Scriptoribus, maxime in opere inſcripto: *Dell' impiego del danaro*. Alterum meditandum propono contractuum implicitorum Patronis, qui ex omni implicito contractu lucrum licite exigi poſſe contendunt; vel ipſo Molinæo monente: *Immo nec accipiat quidem, ſi jacturam faciat debitor*. Tamburinus ſcribit, ut alibi demonſtrabimus, Juniores Theologos modum adinveniſſe totius periculi rejiciendi in debitorem, etiamſi jacturam hic faciat. Sed Molinæi ſententiam excribere perſequamur.

V. Pergit itaque *num.* 7. ſuam exponere ſententiam, triplicem mutui uſuram diſtinguendo. *Dicendum*, inquit, *eſt quod mutui large ſumpto vocabulo, triplex eſt uſus. Primus per modum elemoſynæ, ut quando fit indigenti, etiamſi numquam reddere queat, & ſine ſpe reſtitutionis, niſi quatenus meliorem ſortem adeptus, commode reddere poterit. Secundus per modum ſimplicis officioſitatis temporariæ, & gratuitæ, ut quando omnino ſperatur reddi, & ad hoc recipiens, obligatur præciſe. Tertius per modum negotiationis, ut quando creditor, non mutuat gratis, ſed de certo quæſtu paciſcitur. Primus modus magis accedit dono, quam mutuo, non tamen eſt merum donum, ſi non datur abſolute, ſed cum ſpe recipiendi, ſi contingat recipientem divitem fieri, & reddere poſſe. Interim tamen dans veram eleemoſinam facit, & Domino fœneratur. Prov. 19. Secundus modus eſt verum mutuum proprie ſumptum, ut pote tria ſua ſubſtantialia habens ut ſupra num. 17. Tertius modus. non eſt proprie mutuum, cum non ſit gratuitum, ſed eſt verum fœnus.*

VI. Aliam exhibet diſtinctionem Molinæus, quam, tametſi prolixam, reſcribere non piget, quod non parum illuſtrandæ controverſiæ deſerviat. Juxta triplicem mutui reſpectum tria diſtinguit hominum

minum genera : Pauperum , quibus consuli eleemosyna debet . Indigentium ad tempus , qui quamvis mutuum reddere valeant , gratis tamen illis dandum est . Mercatorum , divitumque , qui res suas amplificant pecunia fœnebri . Ab his exigi , inquit , moderata usura jure potest . Ita ratiocinatur num. 65. *Multum olim delectatus sum , audiens a quodam Theologo publice Parisiis Psalterium interpretante locum illum Psalmi* 41. Beatus qui intelligit super egenum , & pauperem , *sic exponi : Pauperem esse , qui omnino indiget , nec reddere potest , & huic non mutandum , sed dandum . Egenum vero esse , qui aliquando commode reddere poterit , sed nunc indiget , ut qui habet filiam elocandam , nec tantum pecuniæ numeratæ habet , ut ad dotem sufficiat , nec posset ex propriis bonis conficere , absque vili , & damnosa distractione : & huic gratis mutuandum , non autem reditus eruendos ab eo : At quosdam esse , qui creditam sibi pecuniam capiant , ut negotientur , vel latifundia dilatent , & ab his licere reditus emere . Hæc est enim vera praxis , & concordia Divinæ , civilisque legis .*

VII. Post num. 86. in horam omnium confirmationem hæc subjicit : *Dum hæc ad excudendum recognoscerem , commode venit in manus meas libellus elegantissimus eruditissimi Viri* Joannis Epini *in Psalm.* 15., *ubi tres facit hominum ordines, & juvare docet dissimili ratione , & modo . Quidam* , inquit , *sunt pauperes , qui ad mendicitatem inevitabilem rediguntur , nec reddere queunt . Quidam indigentes ; his ad tempus opus est , sed aliquando reddere poterunt . Quidam possessiones tenent , quibus de suo satis est , qui ad tuenda vitæ necessaria commoda alienis rebus , & commodis indigent . Primis gratuita beneficentia , seu elemosyna . Secundis mutuum debetur . Tertiis permittitur inter se de lucro paciſci . Mutuum ex beneficentia , habet apud Deum ampla præmia , in hac , & in futura vita . Redituum emptio , lucrique studium , nulla præmia habent a Deo . Hæc Æquinius . Nec iste ordo , & distinctio Personarum , est humana , aut voluntaria interpretatio . Sed necessarius , & apertus sensus Scripturæ . Non enim præcipit omnibus , ut dent : sed his quibus suppetit , nec præcipit omnibus dari , sed egentibus ; igitur pro modo egestatis . Ad primos ergo pertinebant præcepta Divina de eleemosyna . Ad secundos leges Divinæ de mutuo præcepto , & usuris vetitis . Textus apertus Levit. 25. versic.* Si attenuatus sit . *Quod si simpliciter daretur his , quibus mutuare convenit , nulla servaretur æqualitas ; quod uni esset afflictio , alteri foret relaxatio , & occasio inertiæ . Ad tertios generales ille sententiæ de omni fraude , & injustitia vetitis , &*

ne alter alterum ſupergrediatur 1. *Teſſ.* 4. *ex generaliſſima illa*: *Alteri ne feceris, quod tibi nolis.*

VIII. Prius num. 84., declaravit uſuras percipiendas a divitibus, moderatas eſſe debere. *Turpes*, inquit, *ſunt, & in conſcientia illicitæ uſuræ, quæ excedunt quotam ab æquabili lege, vel conſuetudine loci taxatam, quæ in jure vocantur improbum fœnus: pariter uſuræ uſurarum: quæ autem non excedunt, ſed ſimplici animo fiant, modo etiam non fraudetur Proximus ſubventione debita, licitæ ſunt, ſicut & cæteri contractus bona fide initi. Si autem vitioſo affectu. & fraudulenter fiant, illicitæ ſunt, ſicut & omnis fraus, vel malitia in cæteris contractibus admiſſa.*

IX. Hæc paulo fuſius reſcripſi ex Molinæo, ut exploratum omnibus eſſet, cæteros poſteriores Scriptores Uſurarum Patronos, ſi res ipſa ſpectetur, parum ab eodem diferre. Modos, & cavillos pro temporum opportunitate excogitarunt, ut erroneam Doctrinam quoquomodo juſtæ cenſuræ ſubducerent. Unum advertas velim, Molinæum præ cæteris hæreticam doctrinam ſuam tam ſpecioſo verborum apparatu, tam fallaci charitatis ſpecie obtegere, ut Lectoribus minus expertis facillime imponat. Cautius quippe aliis loquitur. Charitatis partes agere oſtentat, & ſub negotiationis amplificandæ larva, augendarum divitiarum cupiditatem fovet, viamque aperit avaritiæ explendæ. Honeſtam aſſerit uſuram, ac juſtam, dummodo non a pauperibus, ſed a Divitibus patrimonium amplificantibus percipiatur, moduſque a legibus definitus ſervetur. Hæc uſura Proximum non mordet, ſed juvat. Nemini injuriam facit. Cur ergo cum Charitate Evangelica, aut cum lege naturali pugnabit? Sic ille.

X. Claudius Salmaſius Calvini, & Molinæi Doctrinam defendit, ſed ab eorum ſincera diſputandi ratione recedit. Cuniculis, & dolis cauſam agit. Honeſtam vult uſuram, non quatenus lucrum ex mutuo eſt; ſed pro ut locatæ pecuniæ merces dicitur. Hoc pacto ſe explicat *lib. de Uſur. cap.* 8. *Docuimus inter alia, quod maximi erat, ad hoc, quod tractaturi ſumus, momenti inter commodatum, & locatum, non eſſe magis diſcrimen, quam inter mutuum, & fœnus. Nunc ergo hic locus eſt ei diſceptationi, qua diſcutiendum eſt: Utrum fœnus numerari debeat inter licitos, & naturales contractus, an vero inter vetitos, ac minime uſuræ conſentaneos. De mutuo, quod dicitur gratuitum eſſe, æque libenter id concedam, ac de commodato, quod & ipſum gratuitum eſſe debere inter omnes convenit; ſed quæſtionis eſt, quemadmodum pro commodatæ rei uſu non inter vetita eſt mercedem poſtu-*

poſtulare: an ſimiliter & pro uſu rei, quæ mutuo datur, licitum ſit uſuram exigere, quæ merces eſt, non ſolum pecuniæ mutuo datæ, ſed etiam cujuslibet rei ex earum genere, quæ pondere, numero, & menſura conſtat, ſi utendæ alicui dentur. Quæres facit ex comodato locatum, eadem præſtat, ut pro nunc ſit fœnus, nempe merces. Qui eam in commodato probant, cur in mutuo improbent neſcis: nec ullam hujus diverſitatis rationem vides. Locatio Ædium, veſtis, animalis, ſervi, agri, operæ licita erit: non erit fœneratio, quæ proprie locatio eſt pecuniæ, tritici, hordei, vini, & aliarum hujuſmodi ſpecierum, frugumque, tam arentium, quam humidarum. Locari pecuniam Salmaſius docet, eo modo, quo lucantur agri, domus, equi &c. Et ſicuti penſio pro locatione domus juxta eſt; ita & merces locatæ pecuniæ. Hac de cauſa ſupra docuit, uſuram non eſſe ex mutuo definiendam.

XI. *Nicolaus Broederſen* Janſeniſta, & Schiſmaticæ Eccleſiæ Ultrajectinæ Pſeudocanonicus, Calvini, Molinæi, Salmaſii, cæterorumque Hæreticorum doctrinam amplectitur, ſed tanta verborum turba eam implicat, tanta rerum indigeſta congerie rem omnem perturbat, ut nunquam legerim (candide fateor) centonem ineptius conſarcinatum Opere ſuo. Singulis fere paginis probare contendit, Scripturas, & Patres uſuras opprimentes pauperes improbare, ſecus illas, quæ ab opulentis divitibus percipiuntur. Unum, & alterum textum ex mille dabo. *Lib. 2. part. 2. cap. 4. num. 132. Secundum SS. Patres, cum uſuras damnant, conſiderant ſortes illas, quæ ex charitate pauperibus, ac indigentibus utendæ dari debent, eorumque acceſſiones reprobant.* Item lib. 5. cap. 6. n. 13. *Ex eo quod Patres aliquando uſuram vocent iniquam, ſive iniquum eſſe uſurarium lucrum, non ſtricte infertur, ſecundum Patres uſurarium lucrum per ſe juſtitiæ commutativæ repugnare.* Item n. 17. *Supponit hæc argumentatio aliquam Dei eſſe legem, qua nobis in univerſum omnes prohibeantur uſuræ, tam illæ, quibus indigentes læduntur, quam illæ, quæ cum divitibus Mercatoribus, ſine ulla læſione, ſed ſecundum æquitatem, ex lege, & peritorum Judicio exercentur ..... Suppoſitum vero illud eſt falſum. Nulla enim Dei lege aliæ nobis interdicuntur uſuræ, quam illæ, quæ charitatem lædunt.* Item eod. lib. 5. cap. 19. n. 11. *Si Sanctus Baſilius illam ſolum conſideret uſuram, quæ miſerum triſtis neceſſitatis eſt remedium, rite, & ſolide ex his dilemmatibus infert nemini ad fœnus eſſe recurrendum, & ſic iſta argumenta, bona, & efficacia ſunt. Si Sanctus ille Doctor ob oculos habuiſſet innoxias illas inter opulentes uſuras, de quibus diſceptamus,*

ex

ex dictis dilemmatibus non sequeretur, nulli hominum pecunias ad usuram esse sumendas. Nam copiosus Mercator, qui non necessitatis, sed majoris lucri causa pecuniam ad usuram accipit, per ea argumenta non convinciur usuram illam cavendam. Dicat illi S. Basilius. „ Si habes, unde reddas, cur præsentem necessitatem, eorum, quæ habes, subsidiis non relevas? Vel si dives es, noli sumere mutuo; nam si nullius rei es indigens, quid tibi cum fœnore? „ *Respondebit illi dictus Mercator; ego non necessitatis, sed majoris lucri causa, recurro ad usuras, quæ mihi non oneri, sed occasioni, medio, & auxilio sunt ad lucrandum. Per istud responsum S. Basilii dilemmata, respectu divinis hujus, enervantur. Adeoque S. Basilii dilemmata, si ille etiam inter divites innoxias considerasset usuras, non valerent. Duplex enim in illis committeretur vitium: Alterum, quod disjunctiva illorum non comprehendat omnes homines; nam neutro membro comprehenduntur divites illi, qui non necessitatis, sed lucri causa, pecuniam ad usuram accipiunt. Alterum, quod non sit necessaria consequentia prioris membri illarum disjunctivarum; nam non necessario sequitur: Dives nullius rei est indigens; Ergo non debet recurrere ad fœnus. Potest enim alia, quam necessitatis causa, scilicet majoris lucri, aliquam pecuniæ summam ad insontes accipere usuras. Quod utrumque continent vitium ista dilemmata respectu istarum usurarum, quæ sine ulla fraude, & læsione, non necessitatis, sed majoris lucri causa inter divites exercentur. Igitur aut S. Basilii dilemmata non valent; aut ille solas illas consideravit usuras, quæ misera tristis necessitatis sunt remedia. Tam perspicaci Doctori non potest sine injuria tam crassum argumentationum vitium imputari. Ergo statuendum est, eum non spectasse innocuas istas usuras, quæ sine ulla læsione, & fraude inter peculiosos exercentur.* Hæc omnia totidem fere verbis excripsit Italus Author, qui in compendium redegit *Broedersen* citato Libro *Dell' impiego del danaro*.

XII. Evidens itaque est, juxta *Broedersen*, usuras moderatas a Divitibus exactas licitas esse; quam Doctrinam singulis fere paginis inculcat. Unum hic animadvertas velim; hominem hunc adeo pugnantia cum Evangelio scribere, ut vix legi sine stomacho possint. Dives es. Ut autem ditior evadas, fœnebrem pecuniam conquiris? Hoc Christus, hoc Evangelium approbat? Quisnam istius mutuationis fœneratitiæ finis? Majus lucrum? Æstus ditescendi? Hæccine Evangelium sapiunt? At hæc divitiæ, inquis, in bonum publicum, nempe in commercii augumentum cedunt. Ita ne vero? Injuste ergo Evangelium vetat inhiare lucro, & divitiis, quod lucra, & divitiæ

in

in bonum publicum cedunt? Ignoravit ne Christus, quæ bono publico conferant? Sed dicant nobis istius boni publici buccinatores: Quæ lex astringit Petrum, Paulum, aut quemlibet Christianum, ut is, nullo cogente Principe, nulla præcipiente Potestate, debeat pecunias fœnebres conquirere, usuras solvere, non quod ulla prematur indigentia, sed ut bonum publicum promoveat? Ubinam lex ista, quæ aut præcipiat, aut honestet fœnera ista? Quid plura? Invenias mihi unum ex mille, qui dum majoris lucri causa usuras exercet, vel recogitet, aut unquam recogitavit aliud bonum, quam proprium commodum, seu augendum divitiarum scopum, ut ipse scribit *Broedersen*. Sed hæc præter institutum, & dicis gratia. Quæ S. Doctori Basilio improperat, digna sunt homine Jansenista. Luculentum est, ibi Basilium divitum usuras improbare. Negat *Broedersen*. Cur? Quia, inquit, Basilius improbat innoxias usuras inter opulentes, qui non necessitate premente, sed divitiarum augendarum cupiditate succensi, undique pecunias mutuatitias colligunt, ut hanc expleant cupiditatem. Hæccine est Theologia viri Catholici? Hoccine in Patres obsequium? Errant, coecutiunt SS. Patres, nisi ad salivam loquantur. Non est dicendum Basilium Doctorem acutissimum errasse. Ergo fatendum, adprobasse insontes Divitum usuras. Sic philosophatur *Nicolaus Broedersen*. Suo loco evincam quam putida sit calumnia, quam Jansenista *Broedersen* impingit S. Basilio. Siquidem conceptis verbis Doctor Sanctus detestatur usuras perceptas ex pecunia data Mercatoribus lucri causa.

XIII. Calvini, Molinæi, Salmasii, & *Broedersen* doctrinam amplexati sunt quidam alii. Aliquos textus transcribam ex Opere: *Dell' impiego del danaro*. In Introductione pag. 16. hæc habentur. *Troverai in qualch' uno, che non si può prender usura nè da poveri, nè da ricchi, il che è verissimo*, PERCHE USURA, VUOL DIRE PRENDER TROPPO, E IL TROPPO NON SI PUO' NE' DA POVERI, NE' DA RICCHI. *Troverai chi dirà, non potersi esigere ne poco, ne molto, e parla ottimamente; perche intende da poveri, e da angustiati, su i disastri de' quali non è mai lecito di trar profitto. Benche Io vesta quì la figura di chi tiene per questa parte, non per questo celerò punto, o tacerò, quanto di più forte iu favor dell' altra, da chi la propugna, si adduce. Vero è, che per quella, son già dugent' anni, che altro non si fa, che RIPETERE, la dove per questa delle più precise autorità, e delle più vigorose ragioni, non credo si sia per anco fatto bastante uso*. Dicendi veniam postulamus, Calvinum, Molinæum, Salmasium, Noodt omnia uberius, eloquentius,

tius, elegantius, efficacius in medium prompſiſſe. Patres, & potiſſimum Thomam Aquinatem, OMNIA, quæ alicujus ſunt momenti, expendiſſe, & penitus in anteceſſum labefactaſſe. Nihil omnino novi, ne unicam quidem ratiunculam promit Author Operis: *Dell' impiego del danaro*, quæ prius typis edita non fuiſſet.

XIV. Sed quoſdam alios textus reſcribamus. Pag. 2. USURA, *qualche antico del* 1300., *e ancora del* 400. *l' inteſe per quel poco, o molto, che nella reſtituzione ſi prende di più del dato, e d' ordinario trattando di moneta. Ma a noſtri tempi, s' intende l' eſigere in qualunque modo ſi faccia* MAGGIOR *intereſſe del convenevole, e del permeſſo, ed approvato da Tribunali, e dall' uſato correntemente dagli Uomini di buona coſcienza in quel tempo, ed in quel Paeſe.*

XV. Pag. 26. *Or dov' è mai in tutti i paſſi* (di Sagra Scrittura) *fin ora meſſi innanzi, e raccolti,* QUESTO PRETESO DIVIETO *di dare alle occaſioni con legale, e diſcreto frutto, ſomme di danaro a chi per affari di ſua caſa, per migliorare il ſuo ſtato, per ſuoi traſichi, per ſuoi vantaggi le chiede? Altro quì non ſi vede mai, ſe non rimproverar* L'USURA, *che fra gl' Ebrei correa, qual era la* FURIOSA, E INSOFFRIBILE; *e condannar chi non ſoccorreva, ſe non per intereſſe, e con guadagno i Poverelli, e gli anguſtiati, quali empietà, non c' è ora buon Criſtiano, che non condanni.*

XVI. *Parlo quanto a queſt' ultimi per relazione, poiche da loro libri in tale argomento, per eſſer ſicuro di non aver preſo niente da loro, io non hò voluto leggere nepure un verſo: Il paſſo adunque, è nel Levitico.* Nec accipias uſuras ab eo, nec amplius, quam dediſti. *Queſto detto è l' unico, dal quale ſembri ferirſi direttamente, e generalmente anche il modeſto frutto, e ſpiegarſi, che nulla più dobbiamo farci rendere di quello, che abbiam dato. Ma da queſto appunto incominciar dobbiamo a riconoſcer l' intrinſeco di tal materia, a ſcuoprire il* PERPETUO *equivoco, che vedremmo regnare ſino all' ultimo, e a ravviſar lo sbaglio, che naſce dall' addur parole iſolate, citazioni tronche, e ſenſetti dalla lor materia divelti.... Veggiamo in grazia nel caſo noſtro di chi ſi parli, e di chi ſi tratti.* Si attenuatus fuerit Frater tuus, & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi advenam, & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias uſuram ab eo, nec amplius quam dediſti. Time Deum tuum, ut vivere poſſit Frater tuus apud te. *Ecco come ſi tratta del povero, anzi di quel povero, che è anche impotente. Ora verſo gl' impotenti, ed inabili a procacciarſi lavorando il vitto, profeſſiam tutti, che corre poſſitive*

ſitivo debito di limoſina al loro neceſſario ſoſtentamento, non che ſia lecito mai cercar vantaggi, ed utili dal ſovvenirli. Veramente però di quel povero s' intende quì, che può reſtituire quanto riceve; onde di eſiger da lui reſtituzione permetteſi. Ma dal non poterſi eſigere frutto da un tale, ſi vorrà dedurre, che ſiam tenuti a dar per niente i noſtri Capitoli anche a facoltoſi? Tandem ſub finem capitis ait. *In ſomma nelle priſche età, creduto non fu mai, ne penſato, che per tal detto ſi proibiſca qualunque frutto, quando ſi diano ſomme a chi poſſiede buon fondi, o a chi ha capitali in giro: ma che ſi proibiſca bensì di eſigere alcun prò da quelli, cui ſiamo tenuti a ſoccorrere, impoveriti eſſendo, ed abbandonati.*

XVII. CAPO QUINTO, *Si fa oſſervare, come tutte le Autorità della Scrittura parlano d' uſure divoranti, ed a poveri impoſte ..... Quelle uſure ci ſi condannano, che opprimono il Proſſimo, non quegl' intereſſi, che lo ſollevano. . . . . Contro quanto ſi è fin quì ragionato, ben ſo, che viene oppoſto delle VSURE parlar qualche volta la Scrittura generalmente, e parer da ciò, che le biaſimi, gravi, o leggiere, o da' poveri eſatte, o da ricchi. Ma poiche la Scrittura tante, e tante volte dichiarò, che il divieto cade ſopra l' aggravare i poveri; che importa mai, ſe qualche volta ciò non eſpreſſe? Riflettiamo in oltre. Qual ragione ſi può mai trarre, per credere abbolita ogni ſorte di VSURA, dal parlar generale in qualche luogo de' Sagri Teſti?*

XVIII. *Capo Seſto. Come il prò diſcreto, e da i non poveri eſatto, ſi riconoſce ammeſſo nella Scrittura.*

XIX. *Libro Secondo. Capo Primo. Come i Padri Greci altro non riprovorono mai, che le uſure enormi, e le da poveri eſtorte.*

XX. *Capo Secondo. Come i Padri Latini ebbero l' iſteſſo ſentimento, e Dottrina, che i Padri Greci.*

XXI. Tandem relatis Patrum Græcorum, & Latinorum textibus, & in erroneum ſenſum detortis, his verbis concludit. *Facciam fine una volta, perche al certo par ſoprabbondante quanto ſi è detto, per mettere in pieno lume, che i Santi Padri Latini, e Greci, altro non riprovarono, che il ritrarre VSVRA da' poveri, o il ritrarla in modo, che faceſſe diventar poveri.*

XXII. Non minus ergo compertum eſt, quam ſolem in meridie lucere, Authorem libri inſcripti: *Dell' impiego del danaro* uſuras moderatas, atque adeo doctrinam Calvini, Molinæi, Salmaſii, aliorumque Proteſtantium, quam ſemper, ut hæreticam deteſtati ſunt Catholici omnes, propugnare. Hæreſim ſe declinare putavit vo-

cum mutatione . Sæpe enim *Vſuram* appellat vulgari lingua *Pro* : *Frutto* : At ipſemet declarat has ipſas voces *Pro* , *Frutto* , uſuram ſignificare . *Niun di loro ſcartò le uſure* , *che ora ſi direbbon PRO* . Et alibi . *Non è dunque anche ſecondo le loro dottrine da condannar l' VSURA* , *cioè i PRO generalmente* . Quod plura ? Non ne Italus Interpres adoptat hoc de argumento Opus *Broederſen* , inſcriptum : *De uſuris licitis* , *& illicitis* ? Nonne omnia potiſſima principia , quibus Doctores Catholici a ſæculo XIII. uſque ad hæc tempora evincunt , omne lucrum ratione mutui perceptum fœnebre eſſe , improbat , atque inſectatur ? In mutuo trasferri dominium ; pecuniam ſuapte naturam ſterilem eſſe , ut vana commenta deridet , ſibilatque. Tandem , nonne ipſe plenis buccis fatetur , ſe propugnare ſententiam illam , quam P. Valentia Jeſuita , D. Gaytte , P. Natalis Alexander , Queſnellus , aliique vocant hæreticam ? Hoc rotunde ore fatetur Adverſarius , laudatoſque Theologos ut injuſtos cenſores reſpuit . At Theologi iſti non aliam doctrinam hæreticam vocant , quam *illam* , quæ defendit , uſuram moderatam a Divite perceptam eſſe licitam . Ergo ipſe Adverſarius aperte confitetur , ſe uſuras moderatas 4. , aut 3. in centum , licitas eſſe . Factum iſtud adeo clarum , adeo compertum eſt , ut nemo ratione præditus illud vel in dubium revocare poſſit . Immo hoc ipſum , nempe uſuras moderatas a Divite exactas eſſe licitas , duobus integris libris demonſtrare conatur . Quo poſito, dicimus , Catholicos omnes , hanc doctrinam , aut ut hæreticam , aut ut hæreſi proximam reprobaſſe . Plurima ſileo , ne rem certiſſimam dubiam diſputando efficiam .

XXIII. Sed en alterum illius textum in hujus confirmationem veritatis ex lib. 2. pag. 119. depromptum . *Il Queſnell nella ſua Edizione inveiſce quì con lunga nota contra l' odierno coſtume ch' egli chiama DOGMA NOVITIVM , dolendogli che da* Cattolici *approvato ſia . I ſuoi fondamenti è maraviglia quanto ſieno deboli . Afferma eſſer chiaro , che S. Leone attaccò non ſolamente l' uſura co' poveri , ma quella ancora co' ricchi , quando di ciò non ha immaginabil ſegno* . Quodnam eſt *Dogma novitium* , quod Queſnellus confutat ? Hoc ſane . Uſura moderata a divitibus percepta licita eſt . Hoc eſt Dogma novitium , atque adeo hæreticum quod Janſeniſta Queſnellus impugnat , & Janſeniſta *Broederſen* , cum ſuo Interprete defendit . Falſum eſt Queſnellum afferere hanc hæreſim *a Catholicis* defendi , ſed illi dolet , quod Catholicorum aliquis adeo ſit imperitus , ut ſe in errorem trahi patiatur . Legatur integra Queſnelli nota .

§. IV.

§. IV.

BENEDICTUS XIV. *Pontifex Sapientiſſimus expoſitam controverſiam definivit. Omnem uſuram, ſive magnam, ſive parvam, ſive moderatam, ſive excedentem, ſive a pauperibus, ſive divitibus, ſive ab iis, qui pecuniam mutuatitiam tenent otioſam, vel prodigunt, ſive ab iis, qui eandem quæſtuoſis negotiis impendunt, perceptam improbat, ut criminoſam, injuſtam, & juſtitiæ commutanti adverſam. ERRORES recens excitatos, rejicit, proſcribitque.*

I. Expoſitam controverſiam, ut vidimus a Calvino excitatam, a Molinæo, Salmaſio, Cloppenburgio, Noodt, cæteriſque Hæreticis Tranſalpinis propugnatam, Theologi Catholici illis regionibus finitimi ſemper ut hæreticam, aut hæreſi proximam damnarunt, atque ſtrenue etiam labefactarunt. Romana Sedes nullam ad hæc uſque tempora in eamdem controverſiam cenſuram tulit, quod nullam inter Catholicos de eadem contentio eſſet. Sed his noſtris temporibus omnium calamitoſiſſimis hæretica doctrina a Proteſtantibus ad Janſeniſtarum aliquos, & ab his ad nonnullos Catholicos penetravit. Apoſtolicæ ſolicitudinis partes exiſtimavit eſſe Pontifex Summus fœliciter regnans, cauſam hanc ſub examen inducere. Et iis omnibus præmiſſis, quæ in gravioris momenti cauſis exequi Apoſtolica Sedes in more habet, hanc ſententiam pronunciavit in duas partes tributam.

II. *Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantumdem dumtaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum, ideoque ultra ſortem lucrum aliquod ipſius ratione mutui ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperat, illicitum, & uſurarium eſt.*

III. *Neque vero ad iſtam labem purgandam ullum arceſſiri ſubſidium poterit vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur non PAUPER, SED DIVES exiſtat, nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem æqualitatem ſemel poſitam plus aliquid a quolibet, vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur: proindeque ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obligatione JUSTITIÆ quam*

COM-

COMMUTATIVAM appellant, & cujus est in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam & sancte servare, & non servatam exacte reparare.

IV. Apostolica sententia adeo clara, adeo perspicua est, ut nulla Adversariorum interpretatio eam obnubilare queat. Potissima Doctrinæ Catholicæ capita firmat, & novos contrarios errores rejicit, proscribitque, alios expresse, alios necessaria consequutione, ex definita Doctrina proficiscentes. USURA peccatum esse definitur. *Peccati genus illud, quod usura vocatur.* Peccatum istud in mutui contractu Sedem habet. *Quodque in contractu mutui propriam suam Sedem, & locum habet.* Mutui natura in dati, redditique æqualitate sita est. *Suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est.* Quodlibet proinde lucrum, vi hujus mutui perceptum, illicitum, fœnebre, injustum est. OMNE *propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, & usurarium est.*

V. Hæc satis fuissent ad controversiæ decisionem. Si enim OMNE lucrum ex mutuo perceptum fœneratitium est, quodlibet profecto, sive magnum, sive parvum in TO OMNE continetur. Verum quia intentatæ adversus Catholicam Doctrinam litis cardo hoc vertebatur principio, quod lucrum moderatum a divite, non a paupere perceptum, honestum sit; idcirco adjecit secundum sententiæ caput, quo conceptis verbis erronea hæc Doctrina a Calvino, Molinæo, Salmasio invecta, & a quibusdam Catholicis adoptata, rejicitur, improbaturque tanta perspicuitate, ut nullo commento, nullaque cavillandi arte eludi possit Apostolica decisio. Principium alterum, cui tota hæc Calviniana machina superstruitur, nempe usuram cum charitate, non cum justitia pugnare, similiter rejectum est, atque convulsum. Lucrum quippe usurarium quodcumque ex obligatione *Justitiæ, quam commutativam appellant*, restituendum esse sancitur.

VI. Tandem ex iis, quos superiore §. rescripsimus textibus, palam est, quinam sint ii Authores, quibus sententiæ rejectæ, & errores proscripti referri debent: quinam illi, qui easdem sententias fovent, ac tuentur. *Insuper apertissime agnovimus Authores, quibus contrariæ sententiæ referri debent, & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur.* Ut palam esset quinam sint Authores isti, quorum hic Pontifex Summus meminit, eorumdem verba transcripsimus cum latina, tum vernacula.

§. V.

Ineptiſſimum ſophiſma, quod pecuniæ non mutuo dentur, ſed ad intereſſe: Non ad impreſtito; *ſed ad lucrum, reprobavit Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. his verbis* „ ne aditum re-„ linquatis ineptis illorum ſermonibus, qui dictitant de uſuris hoc „ tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine contineatur.„

I. Quæ hactenus ex Epiſtola Decretali recitavimus vera quidem ſunt, luculentaque. Quis tamen unquam, calamitant Eruditi noſtri, eadem vel in dubium revocavit, exceptis Calvino, Molinæo, Salmaſio, aliiſque Proteſtantibus. Omne lucrum ex mutuo fœnebre eſt, vitioſum, turpe. Mutuum enim gratuitum ſua natura eſt. Contra naturam mutui agit, qui ex mutuo lucrum exigit. Certa hæc, & inconcuſſa. At quid inde? Nos pecunias noſtras, nequaquam mutuo, ſed *ad intereſſe*, *ad fructum*, *ad lucrum* damus hominibus, qui pecuniis iſtis ingentia aſſequuntur lucra, & commoda: ergo lucrum, quod percipimus fœnore caret. Fœnus quippe ſine mutuo haberi non poteſt? Nonne ipſa Decretalis Epiſtola definit, uſuræ peccatum in mutuo locum, & ſedem habere? Ergo nos, qui pecunias mutuo non damus, ab uſuræ crimine immunes ſumus. Inutilis ergo, & ſuperflua eſt Epiſtola Decretalis; nihilque ex ea contra nos extundi poteſt.

II. Jam in anteceſſum, ubi mutui finitionem dedi, argutationem hanc exploſi ut ridiculariam, ineptiſſimamque, invectam a Gallo *Coreur*. Verum, quia noſtratum aliqui adeo ſunt infatuati, ut quidquid in quorumdam Tranſalpinorum libris legunt, veluti oracula ſuſcipiant; idcirco hanc futiliſſimam objectiunculam, quam illi ad ravim uſque repetunt, repetere equidem coactus ſum, ut deridendos propinarem, qui eamdem obtrudere audent. Nemo quippe opponere ſimilia poteſt, qui bono, communique ſenſui non renuntiaverit. Quandoquidem merus eſt in objecto, & ad fallendum compoſitus verborum luſus. Hac argutatione poſita, nulli minus fœneratores, quam famoſi fœneratores ipſi. Omnis quippe fœnerator lucro inhiat, & ad lucrandum, non ad mutuum gratuitum pecunias dat. Ergo a fœnore liber. Immo quo ille magis vult moderatum lucrum, eo magis diſtat a fœnore. Dicant ergo nobis Argutatores iſti: Qui fieri poteſt, ut uſuræ culpam perpetret Chriſtianus, illorum Doctrina admiſſa? Mutuo is dat pecunias, nihil poſtulans ſu-

pra

pra ſortem, nec ſperans. Nullum hic fœnus. Si lucrum quæris, jam non mutuo, ſed ad lucrum, *ad intereſſe* pecunias tradit. Impoſſibile huic ergo fœnus erit. Qua enim via poſſibilis huic uſura foret? Quod gratuito mutuo tradat pecunias, deinde decurſu temporis lucrum petat? At hæc leviſſima plane eſt circuitio. Tum enim debitor ſortis, non adſtringitur reddere lucrum, nec illud peti poteſt. Quod gratis datum eſt, ullum ſic danti fructum parere nequit. Ea propter qui illum exigeret, non fœnerator eſſet ſed potius injuſtus, & raptor. Contractus quippe mutui, juxta leges, nullo præfinito auctario, gratis peragitur. Si ergo decurſu temporis quidquam requiris, debitor id ſolvere non tenetur. Tu ergo magis tunc furti, & rapinæ reus eſſes, quam uſurarii criminis, ſi quidquam exigeres. Verum, licet in Epiſtola Decretali conceptis verbis hoc ſophiſma improbatum fuiſſet, num propterea cavillandi rationes omnes ingenioſis Recentioribus ſubtraherentur? Confugerent illi ſtatim (neque enim conjectura fallor) ad PP. Gibalinum, & Raynaudum, docentes, te uſuræ ſcelus nequaquam committere, etiamſi dicas *te mutuari* pecunias tuas, proventumque perceperis, propterea quod verba hæc *mutuari*, *preſter*, *preſtare* æquivoca ſunt, ſatiſque eſt te habere bonam intentionem lucrandi juxta modum, quem docent ingenioſi Juniores. Quibus omnibus poſitis nemo non videt, inanem fatuamque eſſe omnem de uſura quæſtionem. Quare ſapienter BENEDICTUS XIV. has omnes cavillationes flocci fecit, atque unica generali regula, ſeu Monito, ut ineptas rejecit, admonens fideles ſuos, *ne aditum relinquant ineptis illorum ſermonibus, qui dictitant de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine contineatur*.

III. Neque recenſitæ fallaciæ obtruduntur ſolum a *Caſuiſtis* nonnullis, qui meritiſſimi audiunt apud aliquos in Theologia Morali, ſed ab Eruditis aliquibus hujus ætatis Viris, qui ſe ratiocinari ad exactioris critices leges jactant. Nec advertunt acuti homines, numquam fuiſſe in Mundo fœneratores, niſi qui immoderatas uſuras percepiſſent, illorum admiſſa Doctrina ridicularia modo in noſtra DECRETALI damnata. Siquidem Pontifex Summus requirit ad juſtum lucrum contractum, cujus natura ſit prorſus diverſa a mutui natura. Novi uſurarum Patroni, ſola intentione, ſolo animo tradendi pecunias ad lucrum moderatum, omnem de Mundo uſuram auferunt, ipſamque Pontificiam DECRETALEM volentes, nolenteſque carpunt, dum ajunt in eadem damnari lucrum exactum vi mutui, quod & ipſi damnant, non item proventum perceptum ex pecuniis traditis *ad intereſſe*. Sic illi verborum luſu, & inaniſſimis gerris, quæ vix

ac ne vix quidem ſophiſtas decent, de graviſſimo, immo capitali Theologiæ dogmate ratiocinantur.

§. VI.

Sententia Authoris Itali, qui libro inſcripto: Dell' impiego del denaro, *in Compendium redegit, Opus* Broederſen, *pleno in lumine ponitur. Impoſtura, quam Author iſte impingit Romanæ Eccleſiæ, in qua Sæculo* XIII. *mutatam eſſe de uſura doctrinam ſcribit, penitus profligatur.*

I. Opus inſcriptum: *Dell' impiego del denaro* perpetuis antilogiis ſcatet; tantaque verborum circuitione omnia in illo implicantur, ut modo apertum errorem præſeferat, modo adhibitis verbo rum fucis Lectorem fallat. Hujus Auctor primis libris perſpicue, & ſine fuco doctrinam Calvini, Molinæi, Salmaſii cum ſuo Janſeniſta *Broederſen* tranſcribit, docet, propugnatque. *Libro* 3. ſimiliter principia Molinæi, Salmaſii, & aliorum fuſe explicat; nempe in mutuo non transferri Dominium, pecuniam fœcundam, non ſterilem natura ſua eſſe. Sub libri finem quorumdam laxioris ethices Caſuiſtarum opinationes in ſubſidium arceſſit. Doctrinam P. Maignan ab Eccleſia proſcriptam adoptat; ſicuti & aberrationes Patris de Colonia. Igitur, ut Authorem iſtum, ejuſque fautores ad incitas redigam, nullaque ad effugium rima ſuperſit, oppoſitas, quæ hoc de argumento vigent, opiniones, ob oculos pono. Prima eſt Catholicorum omnium; docentium omnem uſuram, quæ eſt lucrum ex mutuo, ſive moderata ſit, ſive nimia, ſive a pauperibus exacta, ſive a Divitibus, peccatum eſſe. Altera Calvini, Molinæi, Salmaſii, Noodt, *Broederſen*, aliorumque Janſeniſtarum, & Proteſtanium, qui uſuram mordentem, nimiam, vel etiam moderatam, ſed a pauperibus exactam, improbantes, uſuram moderatam a Divitibus, & Mercatoribus perceptam, ut honeſtam, licitamque defendunt: Quid ad hæc Interpres *Broederſen*? Nulla ſententia media eſt. Alterutram propugnet oportet. Primam refellit duobus primis integris libris, & ſecundam totis lacertis defendit. Negat? Quam ergo in hac celebri de uſura controverſia ſententiam amplecteris, Erudite Auctor? Quid probare intendis duobus primis libris? Dicant nobis *Broederſiani* omnes, quænam refellatur laudatis duobus integris libris operis inſcripti: *Dell' impiego del dancro*? Ibi non de hoc, aut illo contractu peculiari; ſed de univerſali Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum doctrina ſermo eſt.

Alterutra ergo ex laudatis ſententiis neceſſario defenditur. Dicturi ne ſunt nihil ibi probari, nihil defendi? Sed hæc dicta ſunt in eos, qui hanc cauſam penitus ignorantes, quidquid in buccam venit, ſpuunt, & apud ignarum vulgus exaggerant.

II. Ceterum ſyſtema Authoris Itali illud ipſum eſt, quod Proteſtantes defendunt, unius dumtaxat vocis diverſitate alicubi, non tamen ſemper, adjecta. Nam quod illi *uſuram*, iſte *Pro*, *fructum* appellat quandoque. Paucis verbis illius ſententiam integra ſinceritate perſtringam. Uſuram in mutuo ſedem habere negat, pernegatque, non obiter, non aliorum tantum opiniones referendo, ſed ex inſtituto. In uſuræ definitionem *Mutui* vocem Sæculo XIII. invectam docet. Mutuum, inquit, gratuitum donum eſt: Ergo ſicuti ex dono, ita ex mutuo nihil recipi poteſt. Hoc ipſo quod quis pecuniam tradens lucrum intendit, non mutuo, ſed *ad intereſſe* eam locat. Et hæc pecuniæ traditio, non mutui, ſed locationis contractus eſt. Si lucrum perceptum ex hac pecunia divitibus, & mercatoribus tradita moderatum ſit, uſura honeſta, & licita eſt, quæ *hodie* non uſura, ſed *proventus* appellatur. Si lucrum immoderatum fuerit, & excedens, vel a pauperibus exactum, uſura criminoſa eſt, ſceleriſque plena. In ſolo quippe lucri exceſſu uſuram ſitam eſſe ait. Unum ſumma dignum animadverſione perpendendum in hoc opere eſt, videlicet hæreticam doctrinam paſſim verborum fucis obtegi, & ſagaci dexteritate quadam lectoribus propinari. Audi, quæ in ipſa Introductione ſcribit Author pag. 20. *Ne ſoſpetto in alcuno cadeſſe mai, che con quanto in queſt' operetta ſi è per eſporre, ſi veniſſe a dar modo per difender quella, che veramente è uſura.* En quam aperte, clamitant ſcituli quidam, improbat & Author noſter uſuram veram. Ita ne vero? Et quænam illi uſura *VERA*? Solam ille uſuram mordentem, pauperes devorantem familias deſolantem, ſeu quæ in pretii exceſſu ſita eſt, *veram* appellat uſuram. Quis autem hæreticorum, ne Calvino quidem, Molinæo, cæteriſque Proteſtantibus exceptis, hanc immaniſſimam non deteſtatur uſuram? Quis tantum monſtrum probavit unquam? Solos itaque imperitos fallere recitata Italica verba queunt: Hæc nativa, & ſincera Authoris Itali, Interpretis *Broederſen*, ſententiæ imago. Ne vel tantillum imponere videamur, ejuſdem verba referenda ſunt.

III. Scribit pag. 297. ubi interpretatur, unaque illuſtrat Doctrinam *Broederſen*. „ Il chiama l' uſura *lucrum ex mutuo*, *overo vi mu-*
„ *tui*, *ſi agatur de mutuo proprie dicto*, *CHIMÆRA EST*: perche
„ preſtito e un donar l' uſo, onde da eſſo non ſi ritrae mai guadagno,
„ come

„ come non si ritrae dal dono, e non bisogna però confonderlo con
„ usura: niun Santo Padre adoprò mai così fatte espressioni, e non
„ bisogna allontanarsi dall' uso della Scrittura e de' Padri. Pag. 298.
„ *in sostanza il definir l'usura dal mutuo è contrario a tutta l'antichità.*

IV. Hæretica ne, an Catholica est doctrina isthæc? Quid reponis? Usura peccatum peculiare est, ab aliis contra justitiam omnino diversum. Mutuo sublato, si lucrum sit immoderatum, injustitia, non usura, jnxta Catholicos omnes dicitur. Nullum ergo in mundo usuræ crimen. Hæretica plane est Doctrina isthæc. Hæreticam ergo Doctrinam docet Author Italus. Falleris, inquies. Hic Interpretis, non Doctoris personam sustinet. In Compendium quippe redigit volumen *Broederseu*. Esto. Qui opera Lutheri, Calvini, Socini in Italicam linguam verteret, eaque legenda Catholicis traderet typis edita, an non saltem docere præsumeretur doctrinam hæreticam? Ergo vel ex hoc solo, opus *Dell' impiego del danaro* severæ censuræ obnoxium mihi videtur.

V. Verum enimvero non ut Interpres modo, sed etiam ut Doctor, Author noster Italus laudatam hæreticam Doctrinam propugnat. Quin gravius, quam ipse *Broederseu*. „ Vi aggiunge poi anche „ gli scrittori dal secolo decimoterzo in quà: *che vuol dire da quando CAMBIARONO IN QUESTA MATERIA LE DOTTRINE.* Lege integrum folium 467. Nicolai Broedersen, quod in compendium vertit Author Italus, & nullum horum verborum vestigium ibi reperies. Hanc doctrinæ mutationem proprio marte inventam adjecit Interpres, ut sui Doctoris Jansenistæ opus illustraret.

VI. Ne ullus ambigendi locus restet, rescribere juvat ex pluribus pauca eorum, quæ, ut Magister, & Doctor scribit *lib. 3. cap. 1. pag. 210. & seqq.* „ Grandissima forza in questo litigio vien fatta „ anche sù quella *del mutuo*, quasi tutto consista in vedere *se sia mu-* „ *tuo*, o non sia. Virtù magica non è per altro da credere venga at- „ tribuita a questa voce ... Se dicono significare *imprestito*, siam tut- „ ti d' accordo; perche del prestito ogn' un dirà, che non si dee do- „ mandar frutto ... Si dicono, che significa *dare ad interesse* non „ debbono supporlo vietato ... Il dare a tal contratto il *nome di mu-* „ *tuo* non può aver forza d' abbatter le ragioni, per cui si prova leci- „ to l' investire *con onesto pro* il suo denaro. Ora poiche l' una di „ queste significationi forza è che diano a tal nome, ecco, dicono i „ Fautori dell' opinione, *che quì s' illustra*, con poche parole ri- „ solto il grand' argomento del *Mutuo*.

VII. Qui sunt amabo, Fautores opinionis, quam *illustras*? Cal-

vinus, Molinæus, Salmaſius, Noodt, *Broederſen*. Cur nomina ſiles? Cur occultas? Si fautores opininis tuæ alii ſunt, cur eos non laudas? Allega vel unum Catholicorum, qui talem doceat errorem. Cedo. In quanam contractus ſpecie conſtituis *tradere nummos ad intereſſe*? Reſpondet laudato *lib.* 1. 3. *pag.* 256. *Chi potrà mai dire, che Locazion del uſo non ſia il dar quattrini a intereſſe? Credon che baſti il dire, che è mutuo*. Pag. 257. *Forſe* 40. *definizioni diverſe ſi trovano dell' uſura .... In quaſi tutte ſi fa entrare il Mutuo, voce* IN OGGI *oſcura, e però non atta ad eſſere adoperata in definizioni. Con eſſe fiſſano per principio non poſſa cader uſura, ſe non per ragion del mutuo, ... il che al comun degli uomini par contradizione manifeſta, poiche intendendo per mutuo il preſtarè; con queſto non può mai accopiarſi uſura, talche uſura non accaderebbe mai, non potendo MAI ſtar inſieme dare in preſtito, ch' è dar gratis, ed eſigger frutto, che è dare a prezzo ... Ma potendoſi dare ad uſo in due modi; quando ſi dà a prezzo, e con mercede naſce la locazione. Ogni, e qualunque coſa ſi può allogare. Della moneta appunto veggiamo in Plauto, che il darla ad intereſſe ſi avea per locazione, e locazione ſi chiamava*. Pag. 258. *Perche potremo affittare un Terreno, e non una ſomma di danaro? ... Perche potremo dare a nolo gioje, argenterie, e non Moneta?* Pag. 259. *Da niuno ſi negherà che non ſi poſſano dare a nolo iſtrumenti d' arte: ora i danari ſono al mercante iſtrumento dell' arte ſua. In ſomma negar non ſi può, che vera, e propria locazione non ſia, il dar quattrini a intereſſe*. Hæc omnia totidem verbis docet Calviniſta Salmaſius, quem nunquam, ſe legiſſe teſtatur Author noſter. Lege quæ ex Salmaſio ſupra cap. 4. §. 4. reſcripta ſunt.

VIII. Locantur pecuniæ non ſecus, ac fundi, domus, artiſque inſtrumenta? Eccur ergo non locantur pecuniæ pauperibus pacto pretio? Quæ lex vetat locare pauperibus domos agros, artis inſtrumenta, mercede conſtituta? Cur ergo. Si, quoties homines lucrum ex tradita pecunia alteri volunt, pecunias locant, ſublata de mundo uſura eſt. Quid ad hæc? Uſura, inquis eſt, dum pretium immoderatum, & excedens eſt. At pretii exceſſus in quolibet contractu emptionis, venditionis, cenſus &c. occurrere poteſt, peccatumque conſtituit injuſtitiæ, non uſuræ. Uſura autem peccatum eſt ſpeciale. Præterea; ſi lucrum in pecuniæ locatione, dum moderatum eſt, honeſtum & juſtum habetur, æque a pauperibus, ac a divitibus exigi jure poterit. Aut ergo fœneratores dicendi ſunt, qui pauperibus locant domos, agros, artiſque inſtrumenta accepto pretio: aut fœneratores non ſunt, qui ex locata pauperibus pecunia lucrum capiunt.

Urget,

Urget, inquies, charitatis præceptum ſuccurrendi pauperibus. Verum habet. At non minus lex urget iiſdem providendi aliquibus in caſibus gratuita domi, agri, inſtrumentorum, ac pecuniarum conceſſione. Verum hæc obiter dicta ſint. In præſentia quippe ſyſtema Authoris Itali propriis illius verbis exponimus; ut ex ſola expoſitione pateat evidenter, iſtius de fœnore doctrinam ne latum quidem unguem differre a doctrina Calvini, Molinæi, Salmaſii, cæterorumque ejuſdem furfuris Doctorum.

IX. Tranſcribenda nunc ſunt alia Authoris noſtri verba, quibus nimis licenter ait mutatam eſſe in Romana Eccleſia de fœnore doctrinam. Pag. 213. *Qui opportuna occaſione abbiam di riflettere quanto oſcuramente abbi apportato a queſta materia il ſuppoſto, che ne proſſimi ſecoli* (XIII. *& ſeqq.*) *generalmente preſe piede, del non poterſi ricavar nulla in virtù del contratto, cui ſi affiſſe il nome di mutuo; e il non eſſerſi però quelli che andarono ſuccedendo fatti a eſaminare il fondo di tal ſuppoſizione*. Impervium aperire arcanum, ſpiſſaſque diſpellere tenebras iſtas Authori noſtro, ſemper nova & pulchra promenti, reſervatum erat. Sed ille iterum loquatur *lib. 3. pag. 217. Quanto mai ſi allontana in queſto propoſito il penſare, e il ragionare in queſta materia de' Moderni* (nempæ Thomæ Bonaventuræ Raymundi, Alberti, Scoti Antonini, Bernardini, Caroli Borromæi, omniumque Doctorum a ſæcul. XIII. ad hæc uſque tempora) *da quello degli antichi. Degli antichi Padri, i quali tanto declamarono contro l'uſure, ne pur uno ſi trova, che di veruna delle ragioni modernamente ſpeculate menzion faceſſe. Niun di loro mai parlò della pecunia ſterile, niun della translazion del dominio, niuno dell' uſo immedeſimato con la coſa, non della forza del Mutuo, non d' Eretici, ne di lor dottrina. La ragione decantata da SS. Padri e' SEMPRE quella delle lagrime de' miſeri, del diſtrugger le famiglie, e del ridurre a mendicità che facea in que' tempi l' uſura. All' incontro i Moderni queſto punto non toccan mai, ne toccare il potrebbero, perche, ſecondo i noſtri principj, ſe il frutto ha da eſſer lecito, beneficio, e non danno ha ſempre da recarſi al proſſimo. Or chi non vuole alla paleſe verità far contraſto, dovrà pur confeſſare, che adunque, NON DELLA COSA MEDESIMA PARLAVANO QUELLI, E QUESTI, MA DI MOLTO DIVERSA; e che da qualche ambiguo detto de' Santi Padri, non può dunque mai riferirſi a quello, che al preſente ſi controverte. Ognuno vede che gli argomenti moderni, eſcludono anche i pro moderati, e giovevoli, dove il motivo de' Padri feriſſe UNICAMENTE LE USURE INGORDE, E NOCIVE*: Secus uſuras moderatas, quas proventus vocitat,

X. Tria

X. Tria hic gravi animadverſione digna occurrunt. Primum compertum, exploratumque eſt, Authorem hunc Romanæ Eccleſiæ mutationis maculam ſuper hoc de uſura dogmate, & præcepto impingere. Nec reponas, junioribus Doctoribus, non Eccleſiæ mutationis notam affingi; quoniam puerile nimis, ineptumque effugium eſt.. Cedo. Qui ſunt hi juniores? Sunt omnes Theologi; omnes Sancti Doctores Eccleſiæ Romanæ octo ſeculorum; a Petro nempe Lombardo ad hæc uſque tempora. Sunt omnia Concilia, omnes ſynodi, omnes Epiſcopi. Si omnes priorum ſæculorum Doctores ab Apoſtolica doctrina deſciviſſent, non ne Eccleſia ipſa aberraſſet a vera doctrina? Si omnes poſteriorum ætatum Paſtores, Doctoreſque novam ſuper uno dogmate invexerunt doctrinam, a Summis Pontificibus probatam, Eccleſiam ipſam mutationi obnoxiam eſſe neceſſum eſt. Quod ſi in hoc, quidni, & in alio quocumque dogmate mutare doctrinam non potuit? Quanam ex hoc ſolo capite cenſura plectendum ſit opus inſcriptum: *Dell' impiego del danaro, illorum*, ad quos pertinet, judicium eſto. Alterum ponderatione dignum, illud eſt; quod Author iſte luce meridiana clarius propugnet uſuras moderatas, quas aliquando honeſtos vocitat proventus, & reditus. Et hanc doctrinam erroneam a capite ad calcem in toto ſuo opere defendit. Tertium animadverſione digniſſimum eſt, tam evidenter falſum eſſe antiquos Patres ſolas uſuras mordentes, & opprimentes deteſtari, ut non modo Catholici Doctores omnes nobis proximiores, ſed vel ipſi Hæretici oppoſitum aſſerant, ut infra, adductis illorum verbis, demonſtrabo. Illud me tandem ſtupore defixum tenet; nimirum Virum laicum proprio Epiſcopo, & Clero, & omnibus octo circiter ſæculorum Eccleſiæ Romanæ Theologis *in iſtius* graviſſimi dogmatis expoſitione ſe ſe palam opponere auſum fuiſſe. Porro quod omnes Eccleſiæ Romanæ Theologi quamlibet uſuram deteſtentur, ſive parvam, ſive magnam, & a quocumque perceptam, definivit Summus Pontifex feliciter regnans verbis clarioribus, quam ut cavillari quis poſſit. Hæc ſerio a nonnullis perpendi velim, qui minus in hac cauſa verſati, & partium ſtudio plus juſto addicti Doctrinam Eccleſiæ opinionem appellant Scolaſticorum, ac ſi Petrus Lombardus, Raymundus, Thomas, Bonaventura, Halenſis cæteraque Theologiæ lumina doctrinam Patrum, & Eccleſiæ ignoraſſent: ipſaque Eccleſia ignoranter Doctrinam Thomæ Bonaventuræ, aliorumque Sanctorum ſubinde commendaſſet; eamque in ſuis Conciliis, ubi de uſura ſermo eſt, turpiter approbaſſet.

CAPUT

CAPUT VIII.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Cum hæc ita ſint, adprobamus, & confirmamus quæcumque
„ in ſententiis ſuperius expoſitis continentur: cum Scripto-
„ res plane omnes Theologiæ, & Canonum Profeſſores,
„ plura Sacrarum Literarum teſtimonia, Pontificum Deceſ-
„ ſorum noſtrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum Au-
„ thoritas ad eaſdem ſententias comprobandas pene con-
„ ſpirare videantur.

§. I.

Recenſentur Scripturarum Teſtimonia, quæ omnem uſuram ſive parvam, ſive magnam, ſive a Divitibus, ſive a pauperibus exactam improbant.

I. NEC temporis anguſtiæ, nec inſtituti ratio permittunt, ut propoſitum argumentum pro dignitate diſcutiam. Pauca tum Scripturarum, tum Conciliorum, tum Patrum documenta indicabo, ne Interpretis muneri omnino deeſſe videar. Accedit, quod Viri graviſſimi hanc ſtrenue ſpartam ornarunt. Quare, ne actum agam, aliqua dumtaxat Scripturarum teſtimonia producam, ut palam fiat, quam verum ſit Pontificium oraculum; nempe ea omnia, quæ in Apoſtolica ſententia continentur, Sancto Dei Verbo, Patribus, Conciliis, & Sacris Canonibus eſſe quam maxime conſentanea. Ad rem igitur.

§. II.

EX LIBRO EXODI *Cap.* 22. & 25.

II. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.*

III. Vox pauperis, exempli loco ponitur, non reſtringendæ legis cauſa. Si cavillari contendunt Adverſarii vocem illam *Pauperis*, accipien-

cipiendam nempe esse secundum puram vulgatæ literam, ut sibi constent, dicere etiam coguntur a paupere tantum Judæo accipere usuram vetitum esse, secus a paupere extraneo. Hoc autem vel ipsi fatentur iniquum. Hic ergo primus legis textus junctus aliis accipiendus est, & omnes simul, secundum Ecclesiæ Catholicæ Interpretationem, perpetuamque traditionem interpretandi sunt; qua sublata, nihil certi statui deinceps poterit. Heinc colligas velim, Authorem Italum, cum suo Nicolao *Broedersen*, pleno ore fateri, se usuras moderatas, ab omnibus hactenus Catholicis improbatas, propugnare his verbis: *Ribatter si l' Asserzione di Natale Alessandro*: omnes usuras erga omnes vetari: *e la sua stravaganza, che i Poveri nella Scrittura sieno nominati solamente per modo di Esempio*. Duo ergo, erudite Scriptor, in Natali improbas: Unum, *omnes usuras ergo omnes vetari*. Ergo Tu errorem oppositum, nempe *aliquas usuras erga aliquos approbari*, defendis. Alterum, quod Pauper *exempli gratia* in laudato textu collocetur. Sed audi Grotium ipsum in *Exod. c. 22. Vox* Pauperis *hic non restringit legem, sed exempli causa posita est; quia plerumque ita accidit, ut illi magis egeant opis alienæ*. Cajetanum etiam audi in hunc locum; ubi ad vocem *Pauperi* sic habet: *Præsertim pauperi*. Quid, quod omnes Catholici hoc idem docent? Et doctrinam Catholicorum omnium, Natalis Alexandri peregrinum commentum, STRAVAGANZA, appellare audes?

§. III.

EX LEVITICO *Cap. 25. & 35.*

IV. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum, quasi advenam, & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum, ut possit vivere frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut darem vobis terram Chanaam, & essem Deus vester.*

V. Hic quoque de paupere sermo est, quod pauperes ii sint, qui communius, frequentiusque usuras solvant. Divites enim, excepto aliquo raro, & inopinato eventu, fœnebrem pecuniam non accipiunt. Quare Moyses legem rogans, exemplum legi inserit, quod sub oculos omnium frequenter cadit. At non propterea respectu Divitum licitas usuras asserit. Quemadmodum pauperes communiter opprimi Scriptura

tura vetat. Heinc ne inferri poteſt, licitam eſſe Divitum oppreſſionem? Sapientis legislatoris eſt in ſuis rogandis legibus eam ſcribendi rationem uſurpare, quæ accomodatior eſt populari intelligentiæ.

§. IV.

EX DEUTERONOMIO *Cap.* 23. & 19.

VI. *Non fœnerabis Fratri tuo ad uſuram pecuniam, non fuges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno. Fratri autem tuo abſque uſura id, quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris poſſidendam.*

VII. Nulla hic pauperis mentio. Generalis lex eſt. Falleris, inquiunt. Quid produnt hæc verba? *Id quo indiget*. Indigentem, pauperem, egenum. Nimium craſſa, & vana interpretatio. Soli ne egeni mutuo indigent? An non divites, an non Mercatores etiam opulentes interdum fœnebri pecunia egent? Cujuſcumque conditionis homines mutuo interdum opus habere ſolent. An non rationi repugnat, quod illi mutuo des pecuniam, qui nihilo eget? Dandum mutuo eſt Fratri noſtro indigenti, quicumque ille ſit. Cedo. An Dives, an Mercator Frater noſter non eſt? Si nomine fratris pauper tantum intelligendus foret, duo conſequerentur abſurda, quæ nec ipſi Adverſarii admittunt. Primum, quod *pauperi alieno* fœnerari licitum eſſet. Alterum, quod a Fratre Judæo divite, Judæus uſuram exigere jure potuiſſet. Quæ duo & oppoſitores deteſtantur.

VIII. Quod alteram textus partem ſpectat; nempe *ſed alieno*, duæ ſunt interpretationes. Altera S. Ambroſii *lib. de Tob. c.* 15. *Sed forte dices, quia ſcriptum eſt alienigenæ fœnerabis: & non conſideras quid Evangelium dicat, quod eſt plenius: ſed hoc interim ſequeſtremus: legis ipſius verba conſidera: Fratri tuo, inquit, non fœnerabis ad uſuram: ſed ab alienigena exiges. Quis erat tunc alienigena, niſi Amalech, niſi Amorrhæus, niſi hoſtes? Ibi inquit uſuras exige, cui merito nocere deſideras: cui jure inferuntur arma, huic legitime indicuntur uſuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centeſima te vindicare*. Sedes, Agros, bonaque omnia Deus, ut ſupremus Dominus, ab Ammorrhæis, Amalecitis, aliiſque vicinioribus populis abſtulerat, & Judæis donaverat. Dum ab his lucrum fœnebre percipiebant Judæi, nullam violabant juſtitiam. Quod ſuum erat, repetebant. Quod Deus Terræ hujus ſupremus ſit Dominus, valeatque pro ſuo arbitrio cuicumque ſibi placuerit, do-

nare, quis est, qui velit inficiari. Nemo vero, præter unum Deum, hoc absoluto jure potitur. Altera explicatio est, eam legem permittentem esse, & tolerantem populum pervicacem, & ad malitiam pronum, secus adprobantem. Hanc amplectitur S. Thomas 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 1. *Judæis prohibitum fuit accipere usuram a fratribus suis, scilicet Judæis. Per quod datur intelligi, quod accipere usuram a quocumque homine est simpliciter malum. Debemus enim omnem hominem habere quasi proximum, & fratrem, præcipue in statu Evangelii, ad quod omnes vocantur. Unde in Psalm.* 14. *absolute dicitur*: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. *Et Ezech.* 18. Qui usuram non accipit. *Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum.* Utraque interpretatio probabilis est. Secunda mihi arridet magis.

IX. Quæ Nicolaus *Broedersen lib.* 3. *cap.* 23. & 24. consarcinat, ut hunc Sacrum Scripturæ textum de more implicet, & involvat, prætereo. Pauca infra dicam, quibus demonstrabo alterutrum ab eo præstandum necessario fore; nempe aut renuntiandum Ecclesiæ Catholicæ, aut subscribendum Ecclesiæ interpretationi, quæ illa est, quam dedi. Solus transcriptus S. Thomæ textus evincit, quam sint mirabiles *Broedersiani*, qui a se stare S. Thomam scribere non erubescunt.

§. V.

EX PSALMO 14.

X. *Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo? Aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam ..... Qui jurat Proximo suo, & non decipit; qui pecuniam suam, non dedit ad usuram.*

XI. Ubi hic pauperis, ubi divitis, ubi attenuati mentio? Festiva sunt, quæ de more cumulat *Broedersen*, cum suo Interprete Italo, in hunc textum *lib.* 3. *cap.* 31. Præmiserat *cap.* 28. ex generali Sacræ Scripturæ expressione, affirmante, vel negante, non semper solide probari aliquid præcipi, vel prohiberi. Esto. Sed exceptionis, & restrictionis solida perhibenda ratio est. Nullam autem restringendi Davidici textus rationem adfert novus hic usurarum Patronus. Sed missso *Broedersen*, quæ subdit Regius Psaltes Psalm. 54. rescribo.

XII. *Vidi iniquitatem, & contradictionem in Civitate. Die, ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia, & non defecit de plateis ejus usura, & dolus.*

XIII. Usu-

XIII. Uſuram hic cum injuſtitia, dolis, & fraudibus comparat Rex David. Licita ne fraus cum divite, ſecus cum paupere? Injuſtitia ne exercenda cum opulente Mercatore, ſecus cum egeno? Magis luculenta hæc ſunt, quam ut ea Viro, quantumvis ſophiſtæ, convincendo in contentionem revocare oporteat. Repetit David Pſal. 71. *Ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum*. En iterum uſuras iniquitati æquatas.

§. VI.

EX PROPHETA EZECHIELE *Cap.* 18. & 22.

XIV. *Vir, ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium, & juſtitiam, in montibus non conſederit, & oculos ſuos non levaverit ad idola Domus Iſrael, & Uxorem proximi ſui non violaverit, & ad Mulierem menſtruatam non acceſſerit, & hominem non contriſtaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento*, AD USURAM NON COMMODAVERIT, ET AMPLIUS NON ACCEPERIT, *ab iniquitate averterit manum ſuam, & judicium verum fecerit inter virum, & virum, in præceptis meis ambulaverit, & Judicia mea cuſtodierit, ut faciat veritatem; Hic juſtus eſt, vita vivet, ait Dominus Deus*.

XV. Quærimus ab Adverſariis abſolute ne, an cum exceptione, ſeu limitatione intelligendus hic textus ſit? Si cum exceptione, nempe reſpectu pauperis, non divitis, vel de uſura devorante, ſecus de moderata, hac eadem limitatione interpretanda erunt alia, quæ in textu recenſentur: & ſic dicemus, juſtum illum eſſe, qui fecerit judicium verum inter virum pauperem, ſecus inter virum divitem; qui Uxorem proximi ſui non violaverit, & injuriam non fererit marito pauperi: qui per vim non rapuerit pauperi, rapuerit licet diviti &c. Quid? Deliria hæc ſunt, inquis. Audio. Sed cur cætera omnia, quæ in textu numerantur, abſolute intelligenda ſunt, ſola vero hæc particula: *Ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*, cum limitatione interpretanda erit?

XVI. Sed pergamus reſcribere textum ſanctum. Sic autem perſequitur Propheta: *Quod ſi genuerit filium latronem effundentem ſanguinem, & fecerit* UNUM DE ISTIS, & *hæc quidem* OMNIA *non facientem, ſed in montibus comedentem, & uxorem proximi ſui polluentem*, EGENUM, ET PAUPEREM CONTRISTANTEM, *rapien-*

pientem rapinas, pignus non reddentem, & ad Idola levantem oculos, abominationem facientem, AD USURAM DANTEM, ET AMPLIUS ACCIPIENTEM, *nunquid vivet? Non vivet. Cum* UNIVERSA *hæc deteſtanda fecerit, morte morietur.*

XVII. Tandem e contrario concludit. *Quod ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata Patris ſui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis; ſuper montes non comederit, & oculos ſuos non levaverit ad Idola domus Iſrael, & uxorem proximi ſui non violaverit, & virum non contriſtaverit; panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento*, A PAUPERIS *injuria averterit manum ſuam*, USURAM, ET SUPERABUNDANTIAM NON ACCEPERIT, *judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit; hic non morietur in iniquitate Patris ſui, ſed vita vivet.*

XVIII. Nulla heinc evadendi rima. Non ſemel, ſed bis, & ter Deus diſtinguit uſuram a pauperum oppreſſione, & injuria. Aliud eſt pauperem, egenumve contriſtare, opprimere, aliud rapinas exercere: aliud pignus non reddere: aliud panem eſurienti non dare: aliud nudum non operire: aliud proximi uxorem violare; aliud tandem uſuram, & ſuperabundantiam exigere. Qui, clamat Propheta, FECERIT UNUM DE ISTIS, morte morietur. Dicant uſurarum Patroni. Excuſabitur ne Idololatra, quod uxorem proximi non violaverit; aut Adulter, quod Idolis non ſacrificaverit? Cur ergo fœnerator excuſabitur propterea quod pauperem, egenumve non contriſtaverit, non oppreſſerit, ac per vim non rapuerit? Juſtus non eſt, niſi qui omnia implet. Qui in uno deficit, factus eſt omnium reus. Sicut nullam in Idololatria, nullam in adulterio, nullam in rapina limitationem Propheta conſtituit; ita nullam in uſura exceptionem ponit. Æquali modo omnia, quæ recenſet crimina, deteſtatur, ſuppliciumque ſontibus minatur.

XIX. Poſtremum Propheta Ezechiel *cap.* 22. hæc ſubdit. *Et factum eſt Verbum Domini ad me dicens. Et tu Fili hominis nonne judicas Civitatem ſanguinum? Et oſtendes ei omnes abominationes ſuas ..... munera acceperunt apud te ad effundendum ſanguinem, uſuram, & ſuperabundantiam accepiſti, & avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus.*

XX. Adeo decretoria hæc ſunt, ut vix habeant uſurarum patroni quid reponant. *Broederſen lib.* 3. *cap.* 39. ſibi ſemper conſtans in implicandis, quæ luculenta ſunt, reſpondet, textum Ezechielis, intelligendum eſſe juxta Legem Moſaicam. Neque enim, inquit, lex per Prophetas, ſed Prophetæ per legem exponendi ſunt. Quid (argutatur

gutatur ille) legem ne Mosaicam mutarunt Prophetæ, aliamque invexerunt? Tempus designetur, quo mutata hæc lex fuit. Sic garrit, ineptitque homo iste. Ab eodem mutuatus est præfata commenta Italus Interpres.

XXI. Sancti Prophetæ non aliquam novam legem rogarunt, sed a Deo suæ legis Interpretes electi, & Divino perfusi lumine legem ipsam clarius, luculentiusque explicarunt. Si lex Mosaica conceptis verbis approbaret usuras a Divitibus, a Mercatoribus perceptas, solasque Pauperum devoratrices improbaret, tum petere *Broederſen* aliquo jure posset, novam ne legem invexerint Prophetæ. At cum nullibi Moyses adprobet usuras exactas a Divitibus, immo in Deuteronomio absolute usuras improbet, & aliis in locis pauperum, exempli, non restrictionis causa, meminerit; nimis temere *Broederſen* percunctatur, quandonam invecta lex hæc fuerit. Quis unquam tam futile commentum somniavit, quod Prophetæ non sint legis Mosaicæ Divini Interpretes? Istorum luculentissima testimonia ad ambiguos Mosaicæ legis textus, si qui ambigui nobis sint, revocari debent? Digna hæc sunt tanto Interprete. Lex usuram vetans, naturalis, & Divina est. Illius legitimi Interpretes Prophetæ Sancti.

§. VII.

Ad incitas redigitur Broederſen *cum suo Italo Interprete. Hunc usuras moderatas defendere evidenter demonstratur.*

I. Quoties obscura est, vel ambigua Divinorum textuum intelligentia, unice confugiendum est ad Ecclesiæ authoritatem. Si *Broederſen*, qui se Catholicum jactat, vel unicum Ecclesiæ Catholicæ Doctorem designare valet, qui ante Calvinum, Molinæum, Salmasium, cæterosque clare doceat, usuram moderatam, perceptam non a pauperibus, sed a Mercatoribus licitam esse, tum illi assurgere volo, fasceſque submittere. Quid, quod omnes Theologi Catholici continuo ac in lucem erupit novum Calvini, & Molinæi inventum, hæreseos unanimi consensu illud damnarunt? Hic fuit, estque universæ Ecclesiæ sensus. Quo facto ineluctabili posito, etiamsi aliquam ambiguitatem præferrent Scripturæ Sacræ textus, nonne eo in sensu intelligendi essent, quem unanimis Catholicorum consensus nobis exhibet? Quid, quod textus Scripturarum, non ambigui, non obscuri, sed luculenti sunt? Corruit ergo undique erroneus *Broederſen*

ſen opinandi modus vi juſti ratiocinii. Ut interim omittam, poſt editam Decretalem regnantis Pontificis Summi, controverſiam finitam eſſe.

II. Sed ut erroneam etiam Authoris Itali, Interpretis *Nicolai Broederſen*, opinationem penitus evertam, præmittam oportet Concilii Tridentini ſanctionem adverſus novos Divini Verbi interpretes. *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum... Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia... aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum Scripturam Sacram interpretari audeat. Seſſ.* 4. Porro Author Italus non modo adverſus unanimem Doctorum Catholicorum ſenſum Scripturam Sanctam interpretatur: ſed cum Scripturæ, tum Patrum doctrinam eludit, deridetque. Integro ſuo libro 1. *Dell' impiego del danaro* vanis commentis oſtendere adnititur, uſuras tantum mordentes, vel a pauperibus exactas improbari. Audiamus ejuſdem interpretamenta in hunc textum Deut. 23. *Non fœnerabis Fratri tuo ad uſuram... ſed alieno*. Hæc ſunt illius, in hunc textum verba pag. 70. *E' manifeſto, che a tutt' altri, almeno fuorche a Giudei, ſi potea dunque lecitamente preſtare a uſura. Ma non occor dubitare, che s' intende d' VSVRA ONESTA, E MODERATA, ed alla quale nome di Vſura in OGGI NON SI DAREBBE*. Audiſtin? Uſura, quam exigi ab alienis Deus permiſit, *honeſta* erat, & *moderata*. Quid inde? Ergo licita. Quin nec uſuræ nomen hodie (*IN OGGI*) ſubiret. Permiſit Deus libellum repudii Judæis, cui *hodie* haud repudii, ſed honeſtæ ſeparationis nomen tribueretur, juxta opinandi modum noviſſimi Interpretis noſtri.

III. Duæ ſunt laudati textus interpretationes, quas ex Patribus Catholici Doctores exhibent, ambaſque contemnit, deridendaſque propinat novus Theologus. Alteram præbet S. Ambroſius *lib. de Tob. cap.* 15. *Quis erat tunc alienigena, niſi Amalech? niſi Amorrhæus, niſi hoſtes? Ibi, inquit, uſuram exige: cui merito nocere deſideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicuntur uſuræ. Cum bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centeſima vindicare te*. Loquatur nunc Interpres *Broederſen*. „ In ſomma ecco indubitatamente, come non quelle uſure, che in breviſſimo tempo deſolavano, „ e diſtruggevano permiſe cogli eſtranei la Divina legge: ma bensì le „ moderate, e proportionate.... *C' è chi riſponde non eſſer ciò permeſſo, ſe non con quelle genti, con le quali erano in guerra. Ma chi „ ha più inteſo, che ſi vada a domandar danari a quelli, co' quai ſi „ guer-*

„ *guerreggia* „ ? Tanquam jocosam , ineptamque exhibet S. Ambrosii interpretationem .

IV. Altera interpretatio ex S. Thomæ 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 2. *Quod autem ab extraneis usuras acciperent , non fuit eis concessum , quasi licitum , sed permissum ad majus malum vitandum , ut scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent , propter avaritiam , cui dediti erant, ut habetur Isaiæ* 56. Quid ad hæc Interpres *Broedersianus*? En illius verba loc. cit. pag. 72. *Altri afferma non esser ciò permesso come cosa lecita , ma per la durezza di que' cuori . E per evitar un maggior male , cioè di angariar con le usure i propri fratelli , al che inclinavano per la lor grand'avarizia i Giudei . Ma come mai all'eterna sapienza imputarsi ARDISCE d' aver ordinato , o permesso quel , che fosse intrinsecamente male ? .... Non è questo come dire , che Dio avesse permesso a Giudei di rubare a tutti gli altri , e di ammazzargli ancora , acciocche non esercitassero la lor crudeltà , ed avarizia fra se medesimi ? Bel ripiego per evitare i peccati sarebbe stato questo* . En quomodo novus in Theologia Magister audaciæ notam (*imputar si ardisce*) Doctrinæ S. Thomæ inpingit ? Quin effugium , seu artem declinandi, unaque perpetrandi crimina , responsionem S. Thomæ appellat . Quando nam opportunius usurpari licuit Tridentinum Decretum ? *Ad coercenda petulantia ingenia decernit , ut nemo suæ prudentiæ innixus Sacram Scripturam interpretari audeat* . Tantum impotens defendendæ usuræ libido suadere malorum potuit ! Doctorum Ecclesiæ Ambrosii , Thomæ , aliorumque Theologorum omnium deridentur , sibilanturque Doctrinæ ? Sed quod omnem fidem superat, ut lectoribus imponat , Ambrosium , & Thomam in suæ erroneæ sententiæ patrocinium advocare non erubescit , ut suo loco ostendetur .

V. Nunc demonstratione evidenti ostendo Authorem libri : *Dell'impiego del danaro* veras usuras propugnare , non obiter , sed integro primo libro .

PRIMA PROPOSITIO.

Omnes ad unum cum Catholici , tum Hæretici fatentur usuras , quas Deus exigi ab alienis permisit Judæis , esse suapte natura usuras , moderatas utique , minimeque devorantes . De hac prima propositione dubitatio nulla .

SECUN-

SECUNDA PROPOSITIO.

Has uſuras moderatas licitas, honeſtaſque integro primo libro demonſtrare totis viribus contendit Author Italus; atque, ut id evincat, rejicit omnium Doctorum Catholicorum interpretationes, ciſdemque inurit audaciæ & vanitatis cenſuras. Hæc propoſitio certa, & evidens eſt.

TERTIA PROPOSITIO.

Ergo luce meridiana clarius patet, Authorem hunc veras uſuras non obiter, ſed ex inſtituto, & integro hoc primo libro propugnare. Duæ primæ propoſitiones evidentiſſimæ ſunt. Tertia neceſſario conſequitur. Quod ait, has uſuras hodie (*in Oggi*) non eſſe appellandas uſuras, ſed proventus honeſtos, non minuit, ſed auget erroris gravitatem. Non eſt appellanda uſura, quæ a Deo *in Scri*ptura uſura appellatur? Non ergo adulterium vocandum adulterium eſt? Fornicatio non eſt vocanda fornicatio? Nec miror Authorem iſtum, repente Theologum factum, in hos lapſum errores: ſed miror Theologos reperiri aliquos, qui illi faveant. At hoc forte accidit, quod ejuſdem doctrinæ ſenſa non ſint probe aſſequuti. Perpendant illi ſerio, num alio integer primus liber ſpectet, niſi ut evincat uſuras moderatas, non a pauperibus, ſed a Divitibus exactas licitas eſſe, & a Deo probatas. Nemo, niſi qui ratione, & oculis careat, inficiari hoc poteſt.

§. IX.

Pauca de Hæbreorum Commercio.

I. De Judæorum commercio unum, aut alterum verbum. Qui plura cupit, legat inter cæteros, modo licite poſſit, hiſtoriam Judæorum *Prideaux p.* 1. *lib.* 1., ubi deſcribit immenſos theſauros, qui ex Indiis, Perſia, Africa, & Arabia Jeruſalem ferebantur. Quid de negotiatione Tyrorum dicam? Mercaturæ Judaicæ mentio fit Geneſeos cap. 49., ubi deſcribi tur Zabulon in littore maris habitans, & maritimæ negotiationi incumbens. Fœminæ fortis negotiatio cum Chananæo laudatur Prov. 31. De negotiatione etiam Salomonis cum Tyriis, ſermo eſt 3. *Reg.* 5. Verum enimvero nuſquam magis apud

Judæos

Judæos Mercatura floruit, quam tempore Regis David, qui Idumæam occupavit, ubi portus Ailath, & Asiongaber aperti erant ad littus maris Rubri. Inde Navigiorum classes per varia loca emittebantur, quæ postea auro confertæ redibant, ut narratur 1. *Par.* 29. *Tria millia talenta de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes Templi*. Ezechiel tempore non modo agris colendis, verum etiam mercaturæ, & commercio opera dabatur, ut habetur *cap.*27. *Juda, & terra Israel institores tui in frumento primo, balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis. Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum..... Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. Arabia, & universi Principes Cedar ipsi negotiatores manus tuæ.... Venditores Saba, & Reema ipsi negotiatores tui.... Haran, & Chene, & Eden negotiatores tui. Saba, Assur, & Chelmad venditores tui.... Naves maris Principes tui in negotiatione, & repleta es, & glorificata nimis in corde maris.... Quæ in exitu negotiationum tuorum de mari implesti populos multos. In multitudine divitiarum tuarum, & populorum tuorum ditasti Reges terræ.* Commercium ergo cum Tiriis tempore Ezechielis Judæi exercebat.

III. Quibus positis, respondeant novi Politici, qui exaggerant, haud posse commercium, ablatis usuris, consistere. Tempore Davidis, Salomonis, Ezechielis mercatura, & commercia, tum terrestria, tum maritima florebant apud Judæos. David autem non modo necessariam ad exercenda commercia usuram non cognovit, verum e contrario illam ut iniquam reprobavit: questus est de Civitatis plateis non defeciisse *usuram, & dolum*; eumque in Dei tabernaculo habitaturum promisit, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Salamon etiam Prov. 28. conquiri divitias prohibuit *usuris, & fœnore*. Quid ergo aures obtudunt novæ Politicæ inventores, commercia florere haud posse, usura ablata? Sapientiores ne isti Salomone, Davide, Ezechiele? Non ne hæc sola luculenter evincunt, quam sint illorum commenta vana, inepta, ridicularia? Interpres Italus *Broederson* scrutator est antiquitatis diligentissimus; & tamen negat Judæos mercaturæ operam navasse. Sed in hoc, ut modo vidimus, fallitur egregie.

§. X.

Queritur Deus per Ezechielem, quod Paſtores Iſrael occultarent uſurarum pravitatem Populo ſuo. Blandæ Paſtorum opiniones populum Divino ſupplicio non ſubduxerunt.

I. Sanctiſſimus Propheta Ezechiel uſurarum enormitatem Dei ſpiritu actus populo Judæo ob oculos expoſuit. A tanto ſcelere abducere avaram Gentem toto ſtudio pertentavit. Verum Paſtorum multitudo Doctrinæ Divinæ ſeveritatem deliniebat. Quam ob rem laudatus Propheta fere ſolus erat, qui ex adverſo detonaret, omnique mundana ratione contempta, veritatem, ſemper humanis auribus infeſtam, viriliter prædicaret. Cæteri pauci Prophetæ multitudine in avaritiam manibus, pedibuſque irruente perterrefacti, ſilebant. Contra Paſtores, ſeu Animarum Rectores dulcia, & ſuavia promittebant; benigna interpretatione Doctrinæ Ezechielis rigorem temperabant; afflictos populorum animos ſolabantur, & omnia proſpera futura prædicebant. Ita teſtatur Propheta ipſe Ezechiel illo capite XXII., ubi poſt uſuræ deteſtationem, hæc, quæ ſubjicio, ſcribit 2. & 25. *Conjuratio Prophetarum in medio ejus, ſicut Leo rugiens rapiensque prædam, Animas devoraverunt; opes, & pretium acceperunt. Viduas ejus multiplicaverunt in medio illius. Sacerdotes ejus contemſerunt Legem meam, & pollucrunt ſanctuaria mea... Principes ejus in medio illius quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanquinem, & ad perdendas animas, & avare ſectanda lucra. Prophetæ autem ejus liniebant eos abſque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non ſit locutus.*

II. Quod ſubdit Deus per Ezechielem majorem incutit terrorem. Tanta erat & populi, & Paſtorum, ſeu Prophetarum, de quibus Ezechiel ſermonem habet, prævaricatio, tanta divitiarum congregandarum ſitis, ut virum Deus non invenerit, qui veritatem intrepide aſſereret, imminentemque vindictam averteret. *Et quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam; ET NON INVENI. Verſ. 3.*

III. Sane Prophetæ, & Paſtores blandis opinionibus parietes deauratos liniebant abſque temperamento, ſecuritatem populis ſpondebant, & pro eorum animabus vades ſe ſe benigniſſime exhibebant. At numquid liberarunt eos a perditione? Subduxerunt ne illos æterno

ſup-

ſupplicio? Minime. En Divinam ſententiam. *Et effundi ſuper eos indignationem meam. In igne iræ meæ conſumpſi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus, verſ.* 31.

IV. Hæc ad Chriſti Jeſu pedes, ejuſque formidandum Judicium meditentur illi velim, qui a peccantium multitudine, ab univerſali conſuetudine, ſeu turpi corruptela uſuris patrocinium quærunt. Serio hæc illi recogitent, qui, ſibi illudentes, Paſtorum opinationes, & Theologorum multitudinem, & authoritatem allegant, atque opponunt. Scripturarum cæleſtem Doctrinam amplectantur. Viros Dei conſulant, qui unanimi conſenſione in uſuras invecti ſunt. Recogitent, cupiditatem divitiarum omnium eſſe malorum radicem. Illam doctrinam ſectentur, quæ huic cupiditati bellum indicit; quæ Mundum, & omnia, quæ Mundi ſunt, contemnenda inclamat, quæ ſpiritum redolet Evangelicum. Illas vero habeant ſuſpectas doctrinas, quæ cupiditati favent, & carni, videnturque eo unice ſpectare, ut, quæ Mundi ſunt, promoveant, & multitudini, quæ, CHRISTO JESU teſte, latam, & ſpatioſam viam percurrit, indulgeant. Non te, Amice Lector, mellita eloquia dicentium, pax pax, ubi nulla eſt pax, ſeducant, ne te rapidiſſimus pravæ conſuetudinis torrens abripiat. Ut vero cum paucis portum tenere ſalutis valeas, Ezechielem apertiſſime locutum audi, & meditare. Doctrinæ Evangelicæ ſpiritum, & medullam: animi paupertatem: terrenorum contemplationem, miſſis argutationibus, verborumque cavillis, animo recole. Hæc ſi feceris, ab uſurarum voragine longius ambulabis, Hac de re unicum tibi Evangelicum textum propono §. ſequenti.

§. XI.

EX EVANGELIO LUCÆ *cap.* 6.

Commenta Nicolai Broederſen *refelluntur.*

I. Veteris Teſtamenti leges adverſus uſuram latas, ad moralia præcepta pertinere univerſa Patruum traditio docet; quidquid in oppoſitum Calvinus, Molinæus, pluresque alii argutentur. Moralia autem præcepta cum naturæ jura explicent, ſublata cœremoniali lege conſiſtunt, eaque Chriſtus ſuo Evangelio confirmat. Integrum damus textum Lucæ. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia?* Nam & *peccatores diligentes ſe diligunt: & ſi beneſeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? Siquidem & pec-*

catores hæc faciunt, & si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos.

II. Quoniam Christus perficere, non abrogare legem Decalogi venit, ut præceptum septimum, quo usuræ vetantur, magis firmaret, altiusque in hominum cordibus figeret, a benevolentia exordium capit. Post beneficentiam commendat; ut quemadmodum Christiani cæteris omnibus gentibus præire benevolentia, ita & beneficentia se præstare aliis debere intelligant. Quippe non amicis modo, quod & Ethnici faciunt, sed inimicis benefacere imperat ad sui exemplum, qui solem super justos, & injustos oriri facit. Tandem jubet: *Verumtamen diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes.*

III. Duæ sunt inter alias de hoc textu Patrum, & Theologorum sententiæ. Nec tamen diversitas hæc præjudicium aliquod causæ infert. Illud quippe certum, exploratumque est, omnes tum Patres, tum Theologos, qui super hujus textu intelligentia in oppositas concedunt sententias, unanimi consensu propugnare, Christum in Evangelio legem adversus usuram confirmasse, atque perfeciisse. Quod postea ex hoc textu aliqui id negent, adfirmentque communiter cæteri, ad id, quod controversiæ caput est, perinde se habet. Quare qui negant in Evangelio usuram vetari, turpissime errant, & universæ Ecclesiæ sensui contradicunt. Equidem operæ pretium non existimo ad trutinam hic revocare quænam ex duabus indicatis sententiis præferri debeat. Sed eo potius orationem convertam, ut evincam, JESU CHRISTI Evangelium evidentissime damnare usuram.

IV. Ut hoc demonstrem, præmitto oraculum Christi Domini Matth. 5. v. 17. *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Deinde subdit v. 20. *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis Regnum Cœlorum.* Quibus positis hanc conficio argumentationem. Fatentur Adversarii, legem Mosaicam vetasse usuras, quidquid sit, an prohibitio omnes comprehenderet, an pauperes tantum. Atqui Christus legem non venit solvere sed adimplere, seu perficere. Ergo legem, usuram vetantem, perfecit. Clarius expono secundam propositionem. Vnum, & alterum Mosaicæ legis caput; alterum scilicet, quo Moyses permiserat ad duritiam illius

lius populi, nempe libellum repudii; alterum, quod Phariſæi commenti fuerant, nempe odium internum inimicorum, Chriſtus abrogavit, utrumque conceptis verbis exprimendo. Contra plura alia Doctrinæ capita enumerat, quæ ad majorem perfectionem evexit. Inter hæc vero illud de mutuo, *Mutuum date nihil inde ſperantes*, clare ponit. Ergo legem adverſus uſuram Chriſtus non abſtulit, ſed perfecit. Perfecit, inquies, conſilium præbendo, abrogato præcepto. Papæ! Exquiſita ſane perfectio legis eſt, quæ, ſublata lege, conſilium ſubſtituit. Perfectio non deſtruit, ſed ad meliorem ſtatum evehit, quod perficit. Abundaret ne pluſquam Scribarum, & Phariſæorum juſtitia Chriſtianorum, ſi hi liberi eſſent in uſuris exigendis, ſecus illi. Tangi aliquo rubore Adverſarii deberent, ſi tam inepto ratiocinio uterentur. Paucis comprehendo ſublimem Chriſtianæ legis perfectionem, & præceptum. Fœnerantur hominibus fœneratores. Chriſtianus ſine fœnore mutuum dabit. Gratificantur peccatores peccatoribus, ut æqualia recipiant. Chriſtianus neque Beneficii vicem, neque mutui ſortem interdum expectabit. Amici benefaciunt Amicis. Chriſtianus, vel in ipſos inimicos beneficentiæ munera effundat. Hoc pacto juxta Evangelicæ perfectionis exemplar, & fœneratorum iniquitatem declinabit, & inſitam a natura humanitatem ſuperabit, & vel communia ipſa Amicorum officia excedet. Tria ſperare quis ex mutuo poteſt, uſuram, gratiam, & ſortem. Suadet Chriſtus mutui officium, quin nec gratiam, nec ſortem interdum recipiamus. Prohibet autem, ne ex mutuo lucrum, aut exigamus, aut ſperemus. Qui enim ſpe recipiendi beneficii mutuatur, inhumanus eſt. Qui tandem ſpe lucri pecuniam alteri credit, injuſtus eſt fœnerator.

V. Oppoſitam doctrinam poſt Calvinum commentus eſt Molinæus *tract. de uſur. num.* 11. *Non eſt igitur verum, ſed erroneum, & ſuperſtitioſum, quod illi hactenus ſcripſerunt, & docuerunt, quamlibet uſuram, aut fœnus, ſeu quidquid omnino commodi, ob mutuatam pecuniam creditor recipiat, a lege Diviua damnari: quia immo non damnatur uſura, niſi quæ fraudi proximo eſt, ipſumquæ prægravat. Non obſtat univerſalis illa negativa Luc.* 6. nihil inde ſperantes: *quia illic Chriſtus non de uſura, ſed de reſtitutione ſortis, vel repenſione æqualis beneficii loquitur*. Peregregie. Mutuari nos Chriſtus vult, etiam abſque ſpe ſortis recuperandæ, aut beneficii recipiendi, ſimulque uſuras exigere concedit? Lepida ſane commenta. Omnium Patrum Authoritates adferre hic poſſem. Omnes utriuſque Teſtamenti verbis uſi ſunt, ut uſuram damnatam evincerent. Omnes clamant, Chriſtum ad mutuum dandum, etiam ſine ſpe, aut ſimilis

gratiæ

gratiæ recipiendæ, aut ſortis recuperandæ nos exhortari. Ergo extremæ dementiæ eſt, aſſerere Chriſtum conceſſiſſe lucrum aut exigere, aut ſperare ex mutuo.

VI. Argumenti efficacitatem confeſſus eſt vel ipſe Salmaſius *Lib. de uſur. cap.* 20. *Hæc Domini verba jugulum uſuræ petere non nemo ex veteribus Patribus, & ex recenſibus Theologis exiſtimavit. Tertullianus inter antiquiores, ne alios nominem, in hac fuit ſententia. Vetitam uſuram Hebræis fuiſſe, Chriſtum autem ne de crediti quidem ſumma ſuos eſſe voluiſſe ſolicitos, cum crederent. Præceptum Moſaicum de uſura non accipienda præludium quaſi fuiſſe voluntatis Dominicæ de ſorte perdenda, qui juſſerit etiam dari mutuum his, a quibus nihil ſe recepturos ſperarent &c. Baſilius porro inter Græcos Domini ſermonem in Matthæo contra uſuram facere interpretatus eſt, & componit eum cum Præcepto Moſaico, ut doceat, tam veteri lege, quam nova uſuras prohiberi &c. Certe ut apud Lucam concepta ſunt Dominici præcepti verba, longe etiam magis uſurarum latus tranſverberant. Nam qui de perdenda crediti ſumma laborare vetatur, quis credit ei concedi pactiones pro credito uſurarias facere? Longe eſt ab eo, qui nihil ſperaturus de ſorte etiam egentiſſimis credere jubetur, ut ultro paciſcatur aliquod ultra ſortem ſibi reddi, de qua melius, & præcepto convenientius periclitaretur. Illud quidem certum eſt, Dominum non de alio mutuo loqui, quam quod Judæis permiſſum lege fuit Judæo daturis mutuum. Cui præcepto ad pleniorem diſciplinæ perfectionem hoc de ſuo velut auctarium menſuræ addidit, ut etiam non reddituris mutuum credatur; quomodo & aliis firmandis, ut diſtrictior eorum eſſet obſervatio, majori ex ſeveritate conſtrinxit. Etenim qui in difficilioribus regulam tenet, in facilioribus rarius excidit. Qui poteſt libenter, mutuo quod dedit, perdere, dum lucro apponit, ſi id ſervet, aliquid plus vix ſibi ſperare permittit, & uſuris tanto libentius ut careat, a ſe impetrat.* Tanta eſt vis veritatis, ut ex audacis Hæretici pectore hæc extorſerit. Tametſi enim ille ea ſubinde adulterare Scripturarum ſenſa conetur; tamen hæc, quæ vel coactus confeſſus eſt, ſatis ſunt ad magis firmandam ſententiam noſtram.

VII. Refellenda nunc eſſent commenta Nicolai *Broederſen*. At hæc innumera ſunt. Nonnulla perſtringam. Primum *lib.* 4. *cap.* 3. narrat, Dominium SOTO exiſtimare in laudato Lucæ textu non contineri præceptum: idque confirmat illius Interpres Italus. Quod quidem verum habet id primo Sotum aſſerere, ſed is continuo ſubdit bidem *lib.*6. *p.* I. *art.*1. *concl.*1. *Præterea illa Evangelica ſententia ſub-*

ſubminiſtrat vim argumento per locum a majori, nempe, quod ſi Chriſtus conſulvit, ut neque gratuitum donum ſperemus ab hominibus, quod licite poſſunt rependere, a fortiori conſequitur, neque expectandum eſſe pretium uſus, quod juſtitia vetat. Quod argumentum ſupra inculcavimus. Perperam ergo *Broederſen*, ejuſque Interpres obtrudunt SOTI authoritatem, quaſi is negaret Evangelicam legem vetare uſuram. Sive enim uno, ſive altera textus parte veritatem propugnet SOTO, vi litigatoris eſt aliqua obtrudere verba, quæ lectorem ad dubitandum inducant, num negaverit ille vetari uſuram in Evangelio; atque adeo id negaverit, quod ſine hæreſi apertiſſima negari nequit.

VIII. Omnia *Broederſen* commenta eo tendunt, ut probet Chriſtum præcipere mutuum gratuitum indigentibus, minime vetare mutuum fœnebre dandum Mercatoribus divitibus. Inquit enim *loc. cit. c.x. §.1. num.4. Ex eo quod debeamus rerum noſtrarum V.G. pecuniæ uſum ex charitate donare indigentibus, non ſequitur, uſum illarum V.G. divitibus Mercatoribus, aliiſque non indigentibus, quibus uſus ex charitate donari nullo jure debet, juſto ex peritorum judicio, aut lege non eſſe vendendum pretio. Itaque falſum eſt ..... verba Chriſti, in quacumque accipiantur explicatione, prohibere aliquid exigere pro uſu pecuniæ a quocumque* ..... Apage ejuſmodi ſophiſma, nonniſi dolo malo, ad fallendum nimirum incautos lectores excogitatum. Audiſtin illuminati cerebri hominem; hominem qui ſe Catholicum jactare, non erubeſcit? Hanc futilem diſtinctionem univerſæ antiquitati ante Calvinum, & Molinæum incognitam, jam ſupra rejecimus, & iterum infra luculentis Patrum teſtimoniis profligabimus.

IX. Alii Recentiores, fuſo calamo textum hunc interpretantur. Aliqua fide ſumma perſtringam ex Italo Interprete *Broederſiano*. Is igitur in Opere: *Dell' impiego del danaro* lib. 1. cap. 4. pag. 37. ſic habet: *Mirabile coſa è, come ſentenza dall' umano intendere così diverſa, venga principalmente fondata ſopra un detto, che ſignifica tutt' altro, e che di tutt' altro intende, e che veramente a queſta controverſia non ſi riferiſce. Ognun previene, che di quelle parole ſi tratta* Mutuum date, nihil inde ſperantes ..... Et pag. 39. *Come mai ſi fa entrar quì, e da che mai ſi ricava un precetto generale di non dare a niuno ſomme di danaro con frutto* ..... Et præterea pag. 41. ſubdit: *Ma conſiderando ancora preciſamente le parole, di cui trattiamo, come ſi è potuto credere, che ſe il Salvatore aveſſe voluto dire ſenza eſiger frutto, aveſſe detto* Nihil ſperantes? *Ognun vede che avrebbe detto* nihil exigentes, *ovvero* nihil lucrantes, *non mai* ſperantes, *perche niuno ha mai parlato in tal guiſa; l' uſura, quale attualmente*

mente s' impone , non essendosi mai detta speranza. Post multa contendit nec Basilium , nec Ambrosium , nec Hieronymum , nec cæteros Patres hunc textum adversus usuram allegasse . Tandem , cum *Broedersen* , Dominici SOTO textum transcribit . Infra palam faciam, non modo Theologos omnes Catholicos , recensita commenta tamquam gravissimos errores improbare , sed vel hæreticos ipsos fateri , Patres Sanctos docere moderatam usuram a Christo prohiberi .

X. Unum obiter recordor , nempe novissimos istos commentatores, qui integrum Christi sermonem meditandum inclamant , animum minime intendisse ad potissima Divini ejusdem sermonis principia , quorum unum est vehemens Christi Domini adversus divites increpatio. Hæc siquidem præcedunt laudatum textum : *Verumtamen væ vobis divitibus , quia habetis consolationem vestram . Væ vobis , qui saturati estis , quia esurietis . Væ vobis , qui ridetis nunc , quia lugebitis, & flebitis . Væ cum benedixerint vobis homines . Secundum hæc enim favebant Pseudoprophetis Patres eorum* . Similia referunt Matthæus , Marcus , Joannes , & Paulus . Divitiarum contemptum servator Divinus exaggerat . Divitibus formidanda minatur , periculumque æterni naufragii iisdem vehementer inculcat . Contra non modo juxta novissimos istos Scripturarum Interpretes illis inhiare lucro permittitur , sed ut facilius explere cupiditas possit , thesauros pro libito cumulare , usurasque exercere conceditur . Si dixerimus , eos , qui talia scribere audent , ipsa prima Evangelicæ legis elementa graviter ignorare , an æquo gravius quidquam pronunciaverimus ? Verum hæc obiter . Forte plura infra dabimus . Sciant etiam novissimi Interpretes isti , Tertullianum , Basilium , aliosque plures Patres , & Concilia Carthaginense 1. *can.* 13. , Parisiense 6. *can.* 53. , Lateran. 2. sub Innoc. III. *can.* 13. , Lateran. 3. sub Alexand. III. *can.* 25. , Avenion. *can.* 3. , Albiens. *can.* 62. , Mediolan. 1. *cap. de usur.* , Lateran. sub Leone X. *Sess.* x. , Alexandrum III. *cap. super eo extra de usur.* , Urbanum III. *cap. consulvit.* , atque Innocentium Tertium eodem titulo laudatum textum allegasse adversus usuram . Sciant denique , omnes Patres , omnes Theologos , semper docuisse utraque lege , & veteri , & Evangelica , usuras vetari . Quod autem hoc , aut alio textu ; hoc , aut alio principio , id evincant , ad rem ipsam , quod attinet, perinde est . Tamen , ut *Broedersen* , qui se Catholicum ostentat,& tanta temeritate audet effutire nihil ad evincendam usuræ prohibitionem conducere textum Evangelicum Lucæ , pudeat aliquantisper audaciæ suæ , lubet proferre in medium Canonem auctoritate gravissimum , quo sane os loquentis iniqua obstruitur . Igitur Concilium Latera-

teranenſe ſub Leone X. anno 1512. hæc definivit: *Dominus noſter, Luca Evangeliſta atteſtante, aperto nos præcepto obſtrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra ſortem ſperare debeamus. Ea enim eſt propria uſurarum interpretatio, quando videlicet ex uſu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo ſumptu, nullove periculo lucrum, fructuſque conquiri ſtudetur.* Quid ad hæc *Broederſen*, ejuſque Italus Interpres?

§. XI.

Pyrrhoniſmus ab Authore Operis inſcripti: Dell' impiego del danaro *ſuis Interpretationibus in Divinam Scripturam invectus.*

I. Non modo Author Operis: *Dell' impiego del danaro* in erroneum ſenſum, omnium licet Doctorum Catholicæ Eccleſiæ conſenſu repugnante, detotquet Scripturæ Divinæ oracula, verum etiam ea præjacet fundamenta, quibus admiſſis nutat univerſæ Scripturæ Authoritas. Ex multis, quæ ille tum in Hiſtoria Theologica, tum in hoc opere ſcribit, ſpecies quædam Pyrrhonyſmi, & Septiciſmi conſequi videtur in Divinis Oraculis aut ſuſcipiendis, aut rejiciendis. Pauca curſim delibabo. In dicto Opere: *Dell'impiego del danaro lib. 1 c. 3.*, ubi hæc Levitici verba Interpretatur: *Nec amplius, quam dediſti*, poſtquam contra omnium Catholicorum ſenſum præfata verba commentus eſt, hæc adjicit pag. 28. *Se le parole &c.* Nec amplius quam dediſti: *non foſſero incorporate, come ſono, ma faceſſero Caſa da ſe; talche ſembraſſe veniſſero a imporre in univerſale di non eſiggere da chiunque ſia, e non ſolamente frutto grave, ma niente di più* quam dediſti, *all' ora ſi riſponderebbe poterſi per ragioni non diſprezzabili ſoſpettare, che quelle quatro ſillabe* quam dediſti, *non ci vengono dall' Interprete, ma più toſto da ſcorrezione, e foſſero un aggiunta di antichi copiſti, che ſi credettero quella, o ſimil parola eſſer neceſſaria a compir il ſenſo. Di tal particella non c' è orma nel teſto Ebrajco, e nè pur nella verſione Greca, nè in verun' altra delle antiche.* Præterea pag. 29. *Della intruſione di quelle due parolette non ſarebbe da far maraviglia alcuna.*

II. Plures paginas implet, ut iſtam verborum intruſionem evincat. Ut abſurda, quæ ex hoc commento proficiſcuntur, perſpecta habeas, conſiderandum eſt de Dogmate explicando negotium agi. Contendit Author noſter, ſolam uſuram mordentem, & immodera-

tam a Deo vetari. *Altro quì non ſi vede mai, ſe non rimproverar l'uſura, che fra gli Ebrei correa qual era FURIOSA, E INSOFFRIBILE.* Quoniam vero laudatus Levitici textus abſolute, nulla ſive pauperum, ſive divitum diſtinctione facta, omnem uſuram improbat; ideo confugit ad citatum commentum. Quod licet ſe ſe illud eruditionis gratiæ Author proponere aſſerat, non propterea minus perniciosum eſt Vulgatæ noſtræ Authoritati. Accedit, quod verba laudata: *Nec amplius quam dediſti*, quæ leguntur in Levitico, repetuntur ab Ezechiele Propheta, ut ex dictis patet. Quare ſpiritus Scripturæ huc ſpectat, ut omnem omnino uſuram, & a quocumque acceptam damnet. Dicat ergo oportet adverſarius, intruſa quoque eſſe Ezechielis verba, fateaturque, ſe ſuam ut oraret cauſam, Pyrrhoniſmum in rejiciendis, aut admittentis Divinis Oraculis invexiſſe.

III. Pejora ſunt, quæ ſcribit in hoc Evangelicum Oraculum: *Mutuum date nihil inde ſperantes.* Inquit enim pag. 214. *Un precetto di tanta conſeguenza, e che tanto influiſce nel bene, e nel male delle famiglie, e degli ſtati, ſarà appoggiato a una voce uſata ACCIDENTALMENTE dal Traduttor Latino, che potea ugualmente ſervirſi d' altra? S' egli dicea quì* Commodate, *in vece di* mutuum date, *come potea dire, e come altre volte diſſe, Tutta queſta DOTTRINA del mutuo ſvaniva.* Papæ! ſi etiam Interpres dixiſſet: *Hæc eſt figura corporis mei*, loco aliorum verborum, *hoc eſt corpus meum*, tota lis de Euchariſtia evanuiſſet. Pergit Author. *Il Salvatore per altro non diſſe certamente* Mutuum, *perche parlava Siriaco ..... Il Vangeliſta non diſſe* Mutuum date, *perche ſcriſſe in Greco.* Prætereo commenta, quæ in hunc textum *lib.* 1. *c.* 4. congerit. Hæc, quæ indicavi, ſatis evincunt, Authorem iſtum Pyrrhoniſmum in Divina Scriptura interpretanda invehere. Quid? caſu, fortuito, *Accidentalmente*, verba hæc, *Mutuum date*, irrepſere in Vulgatam noſtram? Interpres latinus abſque ulla conſideratione, *Accidentalmente*, hæc verba, *Mutuum date*, uſurpavit? Quis Catholicorum ſimilia unquam ſcripturivit? *Perche*, ſcribit pag. 46., *dovremo aver per legge, e da doverſi effettivamente eſeguire, quel ſolo SENSETTO, che fa menzion del preſtare? Le ſentenze del Salvatore noſtro, quali debbono ſervir di regola alla noſtra vita, vanno ſanamente inteſe. Alcune volte ſono ſtimoli alla virtù eroica, e ſomma: alcune volte ſono conſigli, e non leggi: alcune volte convien ſottintendervi la riſerva delle circoſtanze: alcune volte non ſono affermazioni preciſe, ma modi vſati di favellare.*

IV. Hæc,

IV. Hæc, & innumera alia ſimilia congerit, ut demonſtret nullum in Evangelio extare adverſus uſuram præceptum: Quod erroneum commentum univerſæ Catholicorum doctrinæ adverſatur. Porro hac interpretandæ Divinæ Scripturæ libertate poſita, quid firmum, quid inviolatum, quid certum in eadem deinceps habebitur? Theologorum quiſque hoc jus explicandæ pro ingenio legis arrogare ſibi poterit. Sed quid dico Theologorum? Laicorum quilibet reſerare Divina arcana audebit, exemplo motus Authoris noſtri, qui ſublimiores Divinæ Theologiæ controverſias dirimendas ſibi aſſumpſit, quin unquam prius eiſdem ſtuduerit, aut de eiſdem cogitaverit. Idipſum, quod certe prodigii ſpecimen præfert, propriis illius verbis firmatum habeto. Hæc autem ſcribit in Introductione ad citatum Opus *Dell' impiego del danaro* pag. xv. *E' avvenuto ancora, che non pochi .... m' abbian richieſto con gran premura di prendere queſta materia per mano. Me ne ſono difeſo un pezzo, ſiccome quegli, che a tal punto non avea penſato giammai.* In Præfatione quoque in editionem Hiſtoriæ Theologicæ pag. ix. hæc nobis perhibet. *Benche di tal materia ei* (l'Autore) *non ci aveſſe ragionato giammai, ne fattone ſtudio particolare alcuno ſopra di queſta, non per tanto &c.* Quis unquam ſimilem agnovit hominem? Quis hic portenti aliquid non admiratur? Alterutrum ſane dicamus oportet. Aut divinitus illi infuſam ſcientiam: aut quæ ignoravit, typis prodidiſſe. Primum credere Scriptura vetat, niſi ſignis manifeſtis probetur. Alterum cæteris diſcutiendum relinquimus. Quod mihi dolet, meque pene conficit, eſt, quod vir iſte in Tractatu: *Dell' impiego del danaro*, omnibus Catholicis ſe ſe opponit: Doctrinæque non modo Eccleſiæ ſuæ particularis, ſed univerſalis quoque bellum indicit; & in Divino Verbo interpretando Pyrhoniſmum invehit. Qua ſiquidem libertate ille aperte aſſerit innovatam eſſe ſæculo XIII. in Eccleſia de uſura doctrinam, eadem contendent alii contigiſſe innovationem in quacumque materia. Si enim in una, quidni & in alia id accidere potuit? Laxam de uſura doctrinam tradidiſſe Scripturam, & Patres: Rigidam vero ſeveramque induxiſſe ſæculi XIII. Doctores, oſtendere conatur. Nihil ergo certum, nihil firmum, nihil inconcuſſam deinceps ex Divina Scriptura colligere licebit, uſque dum ratio interpretandæ Scripturæ, quæ in Opere: *Dell' impiego del danaro*, traditur, immunis a cenſura conſiſtit: atque adeo illa ſtante ſpecies Pyrrhoniſmi neceſſario conſequi videtur, in ipſis divinis literis interpretandis. Hæc recordari Lectoribus Operæ pretium exiſtimavi. Omnia tamen ſapientum judicio ſubmitto.

CAPUT IX.

Sancti Eccleſiæ Patres uſuram omnem, ſive parvam, ſive a Divitibus, ſive a pauperibus perceptam improbant. Duplicis uſuræ diſtinctio invecta a Calvino, Molinæo, & adoptata a Broederſen *cum ſuis, in Sanctorum Patrum nemine reperitur.*

I. OMnium Patrum textus hic afferre minime in animo eſt, quod alii egregii viri fuſo calamo hæc Patrum Teſtimonia recenſuerint. Nonnulla majoris momenti in alio Tractatu dabo. Pauca hic perſtringam, ut ſuſcepto numeri faciam ſatis. Et primum, Patres notionem, naturamque uſuræ ex mutui contractu, lucro accedente repetunt. Illam quippe vocat Tertullianus *lib.* 4. *contr. Marcion. c.* 17. *Fœnoris redundantiam*. Lactantius *lib.* 6. *Divin. Inſtitut.* inquit: *Plus accipere, quam dederis, injuſtum eſt*. Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *Strom. ex uſuris pecunias colligere, non æquum eſſe*, ſcribit. Baſilius *in Pſalm.* 14. uſuram eſſe ait, *Plus quam ſortem accipere*. Ambroſius *lib. de Tob. c.* 13. *uſura eſt quodcumque ſorti accidit. Quod velis ei nomen imponas, Uſura eſt*, Hieronymus *in* 18. *Ezech.* te reum uſuræ crimine damnat, *ſi plus acceperis, quam dediſti*: & Auguſtinus *in Pſalm.* 36., *ſi plus quam dediſti, expectas accipere*. Hæ ſunt notiones, quæ SS. Eccleſiæ Patres nobis ex divina Scriptura erutas, & a Majoribus ſuis acceptas tradiderunt.

II. Veſtigium diſtinctionis duplicis uſuræ *illicitæ*, & *licitæ*; noxiæ, & innoxiæ apud Patres nullum. Erraſſe Patres, omnem uſuram damnantes defendunt hæretici, ut infra palam faciam. *Nicolaus Broederſen*, ne hæreticus palam audiret, conatus eſt venditare Lectoribus, Patres uſuram immoderatam dumtaxat, aut a pauperibus exactam, improbare; ſecus, ut vidimus ſupra, moderatam, & a divitibus ſolutam. Doctrinam *Broederſen*, ſeu Calvini, & Molinæi, amplexati alii ſunt. Hi omnes non modo Patribus omnibus errorem injuria ſumma affingunt; ſed uſuræ notionem cum ejuſdem effectu turpiter confundunt. Furtum ſuapte natura vitium eſt. Flagitioſum tam reſpectu pauperis, quam divitis eſt. Aliud eſt damnum, quod crimen conſequitur, aliud, in quo criminis natura ſita ſit. Uſura quippe apud Patres, apud Catholicos omnes, crimen, ſceluſque fuit ſemper.

III. Ine-

III. Ineptiſſima igitur caviſſatio *Broederſen*, & aliorum præfocatur. Patres in ſuis ad Fideles ſermonibus, ut uſuræ flagitium deteſtandum vividis coloribus repræſentent, damna, quæ illud conſequuntur, uberi eloquentia exponunt, exaggerantque. Si quis de adulterio, de ebrietate, de ambitione, de homicidio, & de quolibet fere vitio, quod in Proximum perpetratur, ad populum concionem haberet, ſolas ne vitiorum notiones perhiberet? Adulteris etiam mala graviſſima, nempe ſucceſſionis confuſionem, Patrimonium legitimis Hæredibus ereptum, injuſtitiam, infamiamque marito irrogatam, fidem thori violatam, & cætera hujuſmodi, vehementi oratione complecteretur. Dicendum ne propterea, adulterium, marito conſentiente, & nulla ſuccedente prole, aut ſatis proviſo naſcituræ, neminique damno irrogato, innoxium eſſe? Hoc ſane de uſura adfirmat D. *Broederſen*. Communiter indigentes, & attenuati pecunias mutuo quærunt. Avari homines ex iſtorum calamitate proventum faciunt, pauperum ſanguinem ſorbent, pellem excoriant, carnem populi Dei comedunt. Uſura tunc, præter ſuam innatam injuſtitiam, inhumanitatem, crudelitatem, & feritatem addit; & non modo juſtitiæ, ſed charitatis, & humanitatis leges violat. A divitibus exacta adeo horrendas calamitates non parit: & quoniam nihil ad commovendos inflectendoſque animos efficacius conducit, quam exaggerare, quæ ſenſus percellunt, magiſque animi motus excitant; in circo Patres, dicendi artem optime callentes, dum adverſus uſuram declamant, oppreſſos, voratoſque pauperes depingunt, ut uſuræ injuſtitiam, & inhumanitatem avaris hominibus exprobrent. Propterea ne uſuram exactam a divitibus innoxiam pronunciarunt? Quid, quod genuinas illius notiones nobis perhibent? Quid, quod uſuras ab ipſis etiam divitibus, & negotiatoribus (quamquam non ita frequenter) damnent, atque execrentur. Cur autem non ita frequenter uſuræ hujuſmodi deteſtarentur a Sanctis Patribus, in cauſa fuit, quod ars perorandi id non poſtulabat; ſiquidem iſtæ haud ita paſſim ſerpebant, ſicuti cæteræ pauperes opprimentes, devoranteſque. Logica ergo Nicolai *Broederſem* in exponendis Patribus ineptiſſima eſt.

IV. Provocandi ergo ſunt iterum homines iſti, qui peculiari ſane jure Sacræ Antiquitatis interpretandæ peritiam oſtentant, ut vel veſtigium in Scripturis, in Patribus, in Conciliis, iſtius duplicis uſuræ nobis patefaciant. Nec Calvini, Molinæi, aliorumque cramben recoquant, loca obtrudentes, in quibus pauperum oppreſſiones exaggerantur; quoniam, cur hoc factum ſit, rationem, & quidem ſolidam dedimus. Sed loca perhibere debent, in quibus clare, aper-

aperteque dicatur, uſuras exactas a divitibus, & Mercatoribus innoxias, honeſtas, licitaſque eſſe. Donec hoc non oſtenderint, intelligant illi, ſe nullum nobiſcum de uſura certamen inire poſſe. Quoniam nos in medium textus ex Scriptura attulimus, qui abſolute, & perſpicue, nullaque adjecta limitatione, uſuram quamlibet damnant. Ex Patribus quoque textus nonnullos dabimus.

V. Sed alia argumentatione Adverſarios premimus. Aliquæ Romanæ leges uſuras, non ſane opprimentes, non immoderatas, non pauperum devoratrices, ſed moderatas permiſerunt. Patres omnes in has uſuras invecti ſunt. Quid illis facilius, quam populum inſtruere, & docere uſuras nimias, aut ab egenis exactas improbas eſſe: Mutuandum pauperibus, aut indigentibus gratis, & ex charitate, prout lex Chriſti jubet: Contra vero ad rem familiarem augendam, ad ſuſtinenda familiæ onera, ad conſervandam dignitatem, decorem, ſtatum &c. fœnerandum Mercatoribus eſſe, diſtrahendas pecunias, non in in negotiationem ipſam *immediate* exercendam, ſed in perſonas, quæ illam negotientur hoc pacto, ut, ſalva ſorte, acceſſionem in ſingulos annos ſolvant. Hoc profecto docuiſſent, & docere expreſſe debuiſſent Patres, ſi has duas uſuras, unam criminoſam, alteram innocentem, lex Divina diſtingueret. Quid facilius illis fuiſſet, leges Divinas, ſimul & civiles conſociare? Suſpicandum ne Patres ſanctiſſimos, Dei lumine perfuſos in inſtruendis Fidelibus eorum ſolicitudini a Deo commiſſis, tam graviter defeciſſe? Tanti momenti diſtinctionem non docuerunt populos ſuos? Quin eorum conſcientias tam immaniter gravarunt, anguſtiarunt, nihil inter uſuras licitas, & illicitas diſtinguentes? Adeo ne improvidi, &, ne quid gravius dicam, incauti Patres Sancti, ut Fidelium animas laqueis irriterent, ut ſcrupulos iiſdem iniicerent, & vana Religione obductis graviſſimam peccati anſam vel in eo præberent, ubi peccatum non erat? Auguſtinus exponens *Pſalmi* 70. verſiculum: *Quoniam non cognovi litteraturam* (tempore eo legebatur, *non cognovi negotiationes*) vitia, fraudes, dolos mercaturæ deſcribit, deteſtatur. At continuo ſubjicit: *Iſta hominum, non rerum peccata ſunt... ipſi mali ſunt, non ars, quam profitentur*. Idem de uſura dici potuiſſet, ſi uſuram moderatam a divitibus, & iis, qui commode ſolvere illam valent, (quoniam ex pecunia fœnebri, & ipſi lucrantur) exactam, honeſtam, ac Dei lege probatam, Patres agnoviſſent: Eodem prorſus modo, ac de negotiatione ſcripſit Auguſtinus, dixiſſent uno ore: *Peccata hæc ſunt fœneratoris, non fœnoris*. At nullibi iſtius diſtinctionis meminere. Ergo diſtinctio iſthæc inane commen-

mentum est, ante Calvinum, & Molinæum prorsus incognitum, quodque Nicolaus *Broederſen*, & ejusdem Interpres Italus, ex eodem Calvino, & Molinæo rescriptum adoptarunt. Aliquorum Patrum testimonia modo proferam.

TERTULLIANUS *lib.* 4. *contr. Marc. cap.* 17.

Hic nunc de fœnore, cum interponit: Et si fœneraveritis a quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis? *Percurre ſequentia Ezechielis de eodem viro juſto. Pecuniam, inquit, ſuam fœnori non dedit, & quod abundaverit, non ſumet, fœnoris ſcilicet redundantiam, quod eſt uſura. Prius igitur fuit, ut fructum fœnoris eradicaret, quo facilius aſſueſaceret hominem ipſi fœnori ſic forte perdendo, cujus fructum didiciſſet amittere. Hanc enim dicimus operam legis fuiſſe procurantis Evangelio. Quorumdam tunc fidem paulatim ad perfectam diſciplinæ Chriſtianæ nitorem, primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.* Commenta, quibus eludere hunc textum *Broederſen lib.* 5. *cap.* 10. nititur, prætereo, ne opus in immensum excrescat.

S. CLEMENS ALEXANDRINUS *lib.* 2. *Strom.*

De largitione, & communicatione, cum multa dici poſſunt, ſufficit hoc dicere, quod lex prohibet fratri fœnerari, fratrem nominans non eum ſolum, qui ex iiſdem natus Parentibus, ſed etiam qui fuerit ejuſdem Tribus, ejuſdemque ſententiæ, ejuſdem verbi particeps, non æquum cenſens, ut ex pecuniis uſuras legamus, ſed laxis manibus, & animis gratificemur egentibus. Jam vero, qui lubenter largitur, ſatis magnas accipit uſuras, quæ ſunt apud homines pretioſiſſima, nempe manſuetudinem, benignitatem, magnificentiam bonam famam, laudemque, & gloriam. Cavillatur *Broederſen lib.* 5. *cap.* 9. vocem *egentibus*, sed frustra, ut demonstratum est. Quid, quod non pauperes modo, sed etiam Divites non raro *egent*; egentque & Mercatores etiam opulenti. Quid inde?

LACTANTIUS *Divin. Inſtit. lib.* 6. *cap.* 18.

Pecuniæ, quam crediderit, non accipiat uſuram, ut & beneficium ſit incolume, quod ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim genere officii debet ſuo eſſe contentus, quem

opor-

oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem accipere, quam dederit, injuſtum eſt. Quod qui facit, inſidiatur quodamodo, ut ex alterius neceſſitate prædetur. At juſtus numquam prætermittet, quo minus aliquid miſericorditer faciat, nec inquinabit ſe hujuſmodi quæſtu, ſed efficiet, ut ſine ullo damno id ipſum, quod commodat, inter bona opera numeretur. Item in Epitom. *cap.* 4. *Non furabitur, nec omnino quidquam concupiſcet alienum. Non dabit in uſura pecuniam; hoc eſt enim de alienis malis lucra captare, nec tamen negabit, ſiquidem neceſſitas cogit, mutuari.* Uſuræ finitionem perhibet Lactantius. Numquid eam in exceſſu conſtituit? Abſit. Hæc ſunt illius verba. *Plus autem accipere, quam dederit, injuſtum eſt.* Broederſen *lib.* 5. *cap.* 14. obtrudit, cavillaturque verba *Miſericordiæ, & neceſſitatis*: Sed fruſtra de more. Nam reipſa gratuitum mutuum opus miſericordiæ eſt. Et ei, qui pecunia opus habet, ſive pauper ſit, ſive dives res mutuatitiæ creduntur. Alia vana excogitata *Broederſen* prætereo.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS *In Pſal.* 14.

Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentes non accepit. Quia interdum contigit eum, qui jam commemorata geſta exſequutus eſt, circa munerum captationem, & uſuram claudicare, ac ægritudine laborare, huic quoque morbo, remedium applicat. Nam qui Regni Cœlorum cauſa, & ex ipſa erga proximum ſuum amicitia, & benevolentia, ſic probe ſe agit, is elargitur quidem, ſed non ea mente, ut mercedem ab hominibus accipiat: Is enim ſibi, ceu in theſauro recondit, ſibique reſervat pro futura Dei remuneratione: Et munera ſuper innocentes, non accepit. *Is fortaſſe munus admittat, dum nihil moleſtiæ, detrimenti nihil offerentibus importet. Sin caſu eveniat, ut in alterius detrimentum vergat, tunc ſi munera accipiat, omnia, quæ ſupra dicta ſunt, prorſus evertit.*

S. ATHANASIUS. *In Pſal.* 14.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui incedit ſine macula. Docet quibus modis beatum hunc finem conſequuturi ſumus: Primo quidem, ſi immaculata via incedamus, quæ eſt ipſe Chriſtus: Deinde, ſi operemur juſtitiam. Tertio ſi cor noſtrum veritatis domicilium paremus. Quarto, ſi doloſa inſtructi lingua non ſimus. Quinto, ſi malum proximo non adferamus. Sexto, opprobrio proximum non ſuperbe

perbe afficiamus. Septimo, ſi perſonam non accipiamus. Octavo, ſi juramenti fidem non violemus. Nono, SI NON FÆNEREMUR. Decimo, quod eſt omnis complementum boni, ſi muneribus pervii non ſimus. Qui horum æquitatem, ac meritum edidicerit, firmam, atque immotam bonorum donationem nanciſcetur. Adeo Decretoria ſunt hæc Athanaſii verba, ut Nicolaus *Broederſen* nihil reponere auſit *lib. 5. cap. 16.*, niſi hoc futile commentum. „ Hoc ſolum ex iſtis Athanaſii verbis colligitur Davidem in hoc pſalmo docere, non eſſe exercendum illud fœnus, quod in lege vetatur. Anne veri colore dici poteſt, Athanaſium per dicta verba ſic explicaſſe leges Exodi 22. *Si mutuum dederis populo meo pauperi &c.* .... ut per populum pauperem .... ſint intelligendi ditiſſimi „. Hæc audax interpretatio univerſam Prophetarum, & Patrum traditionem penitus evertit. Lex Moyſis non explicanda juxta ſenſum Prophetarum, & Patrum: ſed Patres, ac Prophetæ revocandi ad legem ſunt. Quo hæc tandem recidunt? Huc ſane, quod Prophetæ, & Patres aberraverint, abſolute uſuram damnando. Et ne illos erraſſe dicamus, interpretari debemus eoſdem improbaſſe uſuram in ſenſu legis Moſaicæ, videlicet (ut illi volunt) reſpectu pauperum, non item reſpectu divitum. Porro hæc *Broederſen* & ejuſdem Itali Interpretis doctrina hæretica eſt, ut probatum eſt hactenus.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS *Homil. 41. in cap. 17. Geneſ.*

Vide humanitatem Domini. In ſenſibilibus pecuniis prohibuit, ne quis uſuram acciperet. Quare, & ob quam cauſam? Quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur, creditor autem augens divitias, peccatorum accumulat ſibi multitudinem. Proinde ab initio olim Judæis craſſioribus tale dedit præceptum, dicens: Non fœneraberis Fratri tuo, & Proximo tuo. Qua igitur excuſatione digni erunt, qui Judæis ſunt inhumaniores, & poſt gratiam, & tantam a Domino benignitatem, inveniuntur iis, qui ſub lege fuerunt, inferiores, immo pejores? Plurima alia prætereo, quæ ſexcentis in locis Chryſoſtomus habet. Quæ in hunc textum congerit Nicolaus *Broederſen lib. 5 cap. 25.* evidentius patefaciunt, eum, & illius Interpretem Italum ab imis ſuffodere omnia traditionis fundamenta. Hæ ſunt verba *Broederſen loc. cit. num. 6.* „ Procul dubio omnem uſuram improbam interdictam eſſe docet hic Chryſoſtomus. „ Sed anne Sanctus ille Pater pro uſuris criminoſis habuit innoxias „ noſtras pecuniarum collationes, ſive uſuras, quæ inter peculio-

„ ſos, nulla neceſſitate laborantes, ſine ulla læſione, & fraude exer-
„ centur, iſtud colligendum eſt ex ratione, qua omnes vitioſas
„ uſuras cenſet eſſe damnatas.... Apertiſſimum eſt, rationem iſtam
„ ſolas noxias, & opprimentes reſpicere, nullo modo innoxias no-
„ ſtras negotiationes „. Dum Prophetæ Sancti abſolute uſuras damnant, confugiunt *Broederſiani* ad legem Moſaicam. Dum Patres idem docent, malaque inſuper deſignant, quæ uſuram conſequuntur, tum cavillantur, Patres damnare uſuras, quæ damnum, ſecus illas, quæ commodum inferunt. Quibus arbitrariis interpretamentis admiſſis, nutat omnium Patrum authoritas, omniſque evaneſcit traditio. Uſuras iſtas negotiationis vocat *Broederſen*: Ejus vero Italus Interpres illas appellat *fructus*, *& proventus*. Nullum eſt, ut ſæpius diximus, in tota antiquitate iſtius futilis diſtinctiunculæ, quam Calvinus, & Molinæus excogitarunt, veſtigium. Mitto plurima alia commenta, quæ *Broederſen* conſarcinat, ut doctrinam luculentiſſimam Chryſoſtomi obnubilet.

AUTHOR OPERIS IMPERFECTI *Homil.* 12. *in cap.* 5. *Matt.*

Jubet nos Chriſtus mutuam dare pecuniam, non tamen ſub uſuris; quia, qui ſub uſuris mutuum dat, in prima quidem facie ſua videtur dare, revera autem non ſua dat, ſed alterius tollit. Nam videtur quidem neceſſitati ſuccurrere, revera autem in majorem mittit neceſſitatem. De uno vinculo ſolvit, & multis vinculis alligat, & non propter proprium lucrum. Similis enim eſt pecunia uſuraria aſpidis morſui. Sicut enim qui ab aſpide percutitur. quaſi delectatus vadit in ſomnium, & ſic per ſuavitatem ſoporis moritur: ſic & qui accipit ſub uſuris pro tempore delectatur, quaſi qui beneficium accepit; & ſic per ſuavitatem beneficii, non ſentit quomodo captivus efficitur. Nam ſicut venenum aſpidis latenter per omnia membra diſcurrit, & corrumpit; ſic uſura per totas facultates ejus diſcurrit, & convertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conſperſionem corrumpit, & trahit illam, & facit totum fermentum; ſic, cum uſura domum alicujus intraverit, totam ſubſtantiam ejus ad ſe trahit, & convertit in debitum. Lege plura in Homil. 38. in cap. 21. Matt.

S. BA-

S. BASILIUS *Homil. in Pſalm.* 14.

Inepta Broederſianorum commenta refelluntur.

I. Fuſo ſermone quaſcumque uſuras ſive modicas, ſive immodicas, ſive a paupere, ſive a Divite, ſive a Mercatore exactas deteſtatur Doctor Sanctus Homilia in Pſal. 14. adverſus fœneratores; ubi primum *n.* 1. explicat quid ſit uſura. *Ezechiel id in maximis malis recenſet, ſi fœnus, &* QUIDPIAM ULTRA SORTEM ACCIPIATUR. Notione uſuræ præmiſſa, plures perſonarum ſtatus diſtinguit; pauperum nempe, Divitum, & Mercatorum; & reſpectu omnium uſuras improbat. Nicolaus *Broederſen lib.* 5. *cap.* 19. de more innumeris cavillationibus contendit, S. Baſilium ſolas uſuras devorantes & immodicas, vel a pauperibus perceptas damnare. „ Apertum eſt (inquit) S. Baſilium in toto iſto textu alloqui pau„ peres, quibus opibus pollentes ex *humanitate*, & charitate ſup„ petiari debuerant; quod deinde latius inculcat„. Eadem prorſus obtrudit ejuſdem *Broederſen* Italus Interpres *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 88. *Ora in queſta Omilia null' altro fa il Santo Padre, che deteſtare chi con le uſure enormi riducea il proſſimo in miſeria, e chi da que' poveri le eſigea, quali ſiam tenuti a ſoccorrere.* Plura ibidem habet, quæ omnia eo pertinent, ut oſtendat moderatas uſuras a divitibus exactas non improbari a S. Doctore. Quam ſint hæc a veritate aliena, & cum ipſa bona fide pugnantia, hi, quos nunc profero, S. Baſilii textus luculenter evincunt. Et primum S. Doctor ſub ipſius Homiliæ initium, poſt datam uſuræ finitionem, *Broederſianorum* cavillum ſibi opponit. Fœneratores quippe hic loquentes repræſentat. *Verum ille graves uſuras MUTUÆ pecuniæ exigit: Sed nos profecto aliquid remittemus, & MINORI daturi ſumus fœnore.* Arrigant hic aures *Broederſiani*. Ex pecunia *mutua* exigi uſuras ait S. Baſilius. Non ergo vox *mutui* (ut per tranſennam repetam) invecta eſt in uſuræ finitionem ſæculo XIII. *quando cambiarono le dottrine*, ut ſcribit Interpres Nicolai *Broederſen*. Sed S. Baſilii Textum reſcribere pergamus. *Talia confingens, verbiſque ejuſmodi blanditus miſero, ac le nocinatus, ubi illum ſyngraphis obſtrinxit, atque, præter urgentem inopiam, libertatem etiam viro abſtulit, abit.* Plura ibi vibrat in fœnora a pauperibus exacta. Continuo *num.* 2. uſuras a divitibus exactas inſectatur his verbis. *Argentum qui accipit, primum quidem ſplendidus, ac hilaris eſt, & alieno flore oblectatus mutatione vitæ inclareſcit,*

rescit. Lauta enim mensa est, vestis pretiosior, famuli splendidiore habitu induti, adulatores compotores, fuci domorum innumeri. Sed cum sensim diffluunt pecuniæ, tempusque progrediens secum fœnus advehit, tum ei requiem non afferunt noctes, non dies hilaris est, non sol jucundus, sed eum vitæ tædet. De usuris a mercatoribus perceptis sermonem ibidem habet. *Quæ in ædibus habes perscrutatur: Tua diligenter indagat commercia.* Quid, quod S. Doctor conceptis verbis docet, neminem pauperibus fœnerari. Audi, quæ sequuntur. *Quam. quam videmus non necessariorum indigos ad fœnus confugere: neque enim sunt, qui eis credant: at fœnore sumunt pecuniam homines, qui se in laxiores impensas, & in luxum inutilem effundunt.*

II. Vera hæc sunt, inquiunt, *Broedersiani*. At quid contra nos? Basilius insectatur usuras, quæ familias desolant; minime illas, quæ divites homines reddunt. Hoc est ultimum istorum effugium. Sed iterum illi S. Basilium audiant, qui hoc pacto eos pudore suffundit. *Atqui, inquis, multi etiam fœnore facti sunt divites.* Quid respondet S. Doctor? *At vero plures arbitror ad laqueos pervenerunt. Tu porro ditatos quidem respicis, strangulatos vero non numeras.* Quis tam effrons, ut neget Basilium hic de usuris loqui, quæ commodum quandoque divitiarum afferunt? Et tamen non minus istas, quam cæteras usuras damnat. Ubi in tota hac Homilia Calvinianæ, seu Broederianæ distinctionis vestigium? Ubi bona fides, ubi honestas, ubi pudor illorum, qui solas usuras opprimentes, & devastantes familias a Basilio improbari effutiunt? Vehementiori utique, ac fusiori sermone in usuras invehitur, quæ necessitatis occasione, non a pauperibus, quibus nihil pecuniæ creditur, sed ab hominibus, qui fundos, & bona habent, solvuntur. At simul usuras perceptas a Divitibus, a Mercatoribus, qui mutuatitia pecunia ditescere quandoque solent, rejicit, damnat, & clare detestatur. Duo verba Itali Interpretis *Broederiani* transcribo. *Veggiamo* inquit lib. 2. pag. 90. *che VNICAMENTE delle enormità, e dell' oppression de poveri il più antico, e in questa materia il più accreditato* (S. Basilio) *favella.* Sic illuditur fidei publicæ? Data interpretatio nec illi plene arridet; idcirco e vestigio subdit: *Si potrebbe avvertire ancora, che degli usurieri di professione ei ragiona, di essi intendendo anche nell' Epistola prima ad Anfilochio. Broederiani* passim semetipsos antilogiis conficiunt. Si moderatum fœnus licitum, honestumque est, cur istius fœnoris publica professio infamis, cur turpis reputabitur? Quod plurimi eadem abutuntur? At plurimi arte mercatoria abutuntur: propterea ne turpis, & criminosa est ars isthæc?

S. AM-

S. AMBROSIUS. *Lib. de Tobia cap.* 6.

Lepida commenta Authoris Operis inſcripti: Dell' impiego del danaro *in S. Ambroſii doctrinam*.

I. *Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna, ſua lucra arbitrantur; & diſpendio ſuo deputant, quidquid ab aliis poſſidetur. Aucupantur hæredes novos, adoleſcentulos* DIVITES *explorant, per ſuos adjungunt, ſe ſimulantes Paternam, & avitam amicitiam, volunt domeſticas eorum cognoſcere neceſſitates. Si quam cauſam invenerint, accuſant verecundiam, pudorem arguunt, quod non ante de ſe ſperatum, atque præſumptum. Sin vero* NULLOS *laqueos alicujus neceſſitudinis offenderint, intexunt Tabulas, ajunt nobile* PREDIUM ESSE VENALE, AMPLAM DOMUM, ACCUMULANT PROVENTUS FRUCTUUM, ANNUOS REDITUS *exaggerant, hortantur, ut coemant. Neganti ſe habere pecuniam, ingerunt ſuam, dicentes: utere ut tua*: DE FRUCTIBUS EMPTÆ POSSESIONIS PRETIUM MULTIPLICABIS, *debitum reddes*. Sermo hic eſt de pecunia mutuatitia impendenda in agris, in fundis emendis, qui uberes proventus pariant. Feſtiva, & inaudita ſunt inventa, quæ afferunt Nicolaus *Broederſen lib.* 5. *cap.* 22., & ejuſdem Italus Interpres *lib.* 2. *cap.* 105. *& ſeqq.* Eo omnia recidunt, ut oſtendant, S. Ambroſium immoderatas improbare uſuras. At vaniſſimam cavillationem his verbis retundit S. Ambroſius *cap.* 14. *Et quia plerique refugientes, cum dederint pecuniam* NEGOTIATORIBUS, *non in pecunia uſuras exigunt, ſed de mercibus eorum, tanquam uſuram, emolumenta percipiunt, ideo audiant, quid lex dicat*: Neque uſuram, *inquit*, eſcarum accipies, neque omnium rerum, quæ fœneraveris fratri tuo. *Fraus enim iſta & circumſcriptio legis eſt, non cuſtodia. Et putas te* PIE *facere, quia a* NEGOTIATORE, *velut* MUNUS, *ſuſcipis? Inde ipſe fraudem facit in mercium pretio, unde tibi ſolvit in uſuram. Fraudis illius* TU *Author, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et eſca uſura eſt, & veſtis uſura eſt*: *Et* QUODCUMQUE *ſorti accedit, uſura eſt. Quod velis ei Nomen* (di pro: di frutto, di provento) *imponas, uſura eſt. Si licitum eſt, cur vocabulum refugis? Cur velamen obtexis? Si illicitum eſt, cur incrementum requiris?* Hæc adeo luculenta ſunt, adeo decretoria, ut valeant *Broederſianos* omnes juſto, perpetuoque pudore ſuffundere. Quæ ſcribit Author libri: *Dell' impiego del danaro pag.* 109. adeo levia ſunt, ut commiſeratione potius, quam

quam confutatione egeant. Advertas velim, Divinam Scripturam cum in Levitico, tum in Ezechiele, & Patres omnes uno ore pro uſuræ crimine habere *quodcumque ſorti accedit*. Scribit Author Italus *loc. citato. Or non è egli più chiaro del Sole, che il* quodcumque *non ſignifica quì quantità, ne valore, ma qualità, e ſpecie di coſe*. Sole meridiano evidentius eſt Authorem iſtum Calvinianam de uſura propugnare doctrinam. Si Author iſte veram uſuram non defenderet, an facile non ſe liberaret dicendo: Hunc Patrem cum cæteris omnem damnare uſuram, ſive parvam, ſive magnam, ſive reſpectu pauperum, ſive reſpectu divitum: ſeque uſuram non defendere. At oppoſitum docet; ſe nempe damnare uſuras, aut mordentes, aut pauperes opprimentes, ſecus honeſtas, & a divitibus exactas. Hæc autem doctrina hæreſeos crimen prodit.

S. HIERONYMUS. *Lib. 6. Comment. in cap. 18. Ezech.*

IV. *In Hebraico cunctarum ſpecierum uſura prohibetur; in Septuaginta, tantum pecuniæ; juxta quod, & in* 14. *Pſalmo Scriptum eſt*: Qui pecuniam ſuam ad uſuram non dederit ..... *Sed vide profectum. In principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur. In Proſeta ab* OMNIBUS *uſura prohibetur, dicente Ezechiele*: Pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. *Porro in Evangelio virtutis augmentum eſt, præcipiente Domino*: Fœneramini his, a quibus non ſperatis accipere.,,

V. Quid ad hoc *Broederſiani*, qui oracula Prophetarum per legem, non legem per Prophetas explicare contendunt? S. Hieronymus cum cæteris Patribus docet, in lege Moſaica prohibitam fuiſſe uſuram reſpectu Fratrum; in Prophetis reſpectu omnium. Sed perſequamur Hieronymi Textum. *Sequitur in tertio decimo loco: ET AMPLIUS NON ACCEPERIT. Putant quidam uſuram tantum eſſe in pecunia; quod prævidens Scriptura Divina, omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut PLUS NON recipias, quam dediſti.... Alii pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula accipere diverſi generis, & non intelligunt uſuram appellari, & ſuperabundantiam,* QUID-QUID *illud eſt, ſi ab eo, quod dederit, PLUS acceperint*.

VI. In optima hujus S. Doctoris Editione Veronenſi doctrina oppoſita de uſura moderata percepta a mercatoribus vocatur *Dogma Novitium*. Lege Notam in hunc locum S. Hieronymi. Author Operis: *Dell' impiego del danaro, pag.* 113. *& ſeq.* multa congerit, haud illius eruditione digna. To *Plus* quam dediſti, his verbis implicare ſtudet: *Intende il* Plus, *ch' era in uſo all' ora*. Ad illum membrum:

ſi ab

ſi ab eo, quod dederint, plus acceperit, hæc adjicit: *Nel qual luogo ancora non ſi può fare gran fondamento, non parendo del tutto ſincero, e ſano*. Si adulterationis ſuſpicio eſt, cur in Veronenſi Editione, cui promovendæ perficiendæque Author noſter opem ſe tuliſſe in Operis fronte fatetur, non eſt ad veram lectionem textus reſtitutus? Cur ſaltem adulterati textus ſuſpicio non eſt indicata? Quia tum temporis nondum controverſiæ ſtuduerat. *Non avea ancora preſa per mano la materia*. Plurima ſileo, ne ſcribere cogar, quæ *Broederſianis* diſpliceant.

S. AUGUSTINUS. *In Pſalm.* 36. *Serm.* 3.

Tota die miſeretur, & fœneratur. Juſtus iſte tota die miſeretur, & fœnerat. Sed non gaudeant fœneratores .... Nolo ſitis fœneratores, & ideo nolo, quia Deus non vult. Nam ſi ego nolo, & Deus vult, agite. Si autem Deus non vult, etiamſi ego vellem, malo ſuo ageret, qui ageret. Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum eſt alio loco: Qui pecuniam ſuam, non dedit ad uſuram. *Et quam deteſtabile ſit, quam odioſum, quam exſecrandum, puto quia, & ipſi fœneratores noverunt. Rurſus autem ego ipſe, immo Deus noſter, qui te prohibet eſſe fœneratorem, jubet te eſſe fœneratorem, & dicitur* ibi: *Fœnera Deo. Si fœneras homini, habes ſpem. Et fœneras Deo, ſpem non habetis. Si fœneraveris homini; ideſt* MUTUAM PECUNIAM *tuam dederis, a quo* ALIQUID PLUS, *quam dediſti, ſive illud triticum, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud*: *Si* PLUS *quam dediſti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus*. Quid ad hæc *Broederſen*? Nulla hic pauperis mentio. Expreſſa uſuræ notio traditur: *Plus* quidpiam ex *mutuo* accipere, uſura eſt. Univerſæ ne antiquitati repugnat ex mutuo uſuram definire?

CAPUT

CAPUT X.

Conciliorum, & Pontificum Decreta adverſus uſuram.

I. QUoniam Pontifex Sanctiſſimus BENEDICTUS XIV. in ſua *Decretali Epiſtola* aſſerit, ad ſententias, quas ſupra explicavimus, confirmandas *Sacrarum Literarum teſtimonia*, *Pontificum Deceſſorum noſtrorum Decreta*, *Conciliorum*, & *Patrum* auctoritatem conſpirare; lubet indicare dumtaxat Conciliorum Canones, & Pontificum Conſtitutiones, quibus præfatæ ſententiæ comprobantur. Textus haud tranſcribam, tum ut prolixitatem evitem, tum quod obvii ſunt, tum denique quod alio in Opere plures dabo. Loca tantum indicabo, quæ conſulere quiſque poterit, ſi velit.

II. *Canone* 44. eorum, qui Apoſtolici dicuntur, uſuræ improbantur. Eaſdem improbant Concilium Eliberitanum *can.* 20., Concilium Nicænum *can.* 17., Concilium Carthaginenſe I. *can.* 13., Concilium Carthaginenſe III. *can.* 15., Concilium Carthaginenſe IV. *can.* 67., Concilium Arelatenſe II. *can.* 14., Concilium Turonenſe ann. 461. *can.* 13., Concilium Trullanum, Quini-ſextum dictum, *can.* 10., Concilium Moguntinum *can.* 13., Concilium Rhemenſe ann. 813. *can.* 32., Concilium Cabilonenſe II. *can.* 5., Concilium Aquiſgranenſe cap. 40., Concilium Pariſienſe VI. *lib.* I. *cap.* 53., Concilium Ticinenſe *can.* 21., Concilium Vormatienſe *can.* 69., Concilium Remenſe ann. 1049. *can.* 7., Concilium Pictavienſe *can.* 10., Concilium Gerundenſe *cap.* 19., Concilium generale Lateranenſe II. ſub Innocentio II. *can.* 13., Concilium Turonenſe, cui præfuit Alexander III. *Conſtit.* 2. Concilium generale Lateranenſe III. *can.* 25., Concilium Avenionenſe *can.* 3., Concilium generale Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. *cap.* 4., Concilium Lugdunenſe I. ſub Innocentio IV. *cap.* 13., Concilium generale Lugdunenſe II. *can.* 26. & 27., Concilium Trevirenſe anno 1310. *can.* 31., Concilium generale Viennenſe *lib.* 5. *tit.* 5 *cap. unic.*, Concilium generale Lateranenſe V. ſub Leone X., in quo diſputatum fuit; *Sint ne præfati montes a Chriſtiano dogmate diſſonantes, an non?* Contendebant plures non eſſe licitos, quod aliquid ultra ſortem reciperetur. Adfirmabant alii, *Modo ratione mutui nihil petatur, neque ſperetur. Pro indemnitate tamen eorumdem montium hujuſmodi lucrum, idque moderatum, ac neceſſarium ab his, qui ex hujuſmodi mutuo commodum ſuſcipiunt, licite ultra ſortem exigi, & capi poſſe nonnihil licere.*

III. Quid

III. Quid ad hæc *Broederſen*? Quid ejuſdem Interpres Italus? Concilium illud generale eſt. Agitur graviſſimum negotium, pauperum ſolamen ſpectans. De lucro moderato diſputatur. Hoc lucrum *moderatum* ratione *mutui* non poſſe exigi, definitur. Ergo evidenter concluſum eſt in Concilio Generali noxiam, improbamque eſſe illam uſuram moderatam, excogitatam a Calvino, & adoptatam a *Broederſianis*. Si quiſquam aut ex antiquis, aut illius ævi docuiſſet hanc diſtinctionem, nemone illius meminiſſet in hoc Concilio? Plurima alia Concilia prætereo.

IV. Summos quoque Pontifices indicabo plane in id conſentientes. S. Leo, Gregorius Magnus, & Leo IV. in propriis Operibus uſuras deteſtati ſunt. Alexander III. in Lateranenſi Conc. III., uſuras damnavit *can.* 25. Item plura adverſus eas edidit Decreta, quæ habentur *Lib.* 5. *Decret.* Urbanus III. *can. Conſuluit*, Innocentius III. cap. *Quam perniciosa Extra, de uſuris*; & *cap. Poſt miſerabilem*, Greg. IX. *cap. Navig.*, Clemens IV. *in Epiſt. ad Epiſc. Atrebatenſem*, Gregorius X. *cap. Uſurarum*, & *cap. Quamquam de uſuris*, Cœleſtinus V. in ſuis de uſuris regulis, quas, antequam eſſet Pontifex, ſcripſit, Bonifacius VIII. *cap. Uſurarum*, Clemens V. in Concilio Viennenſi, Martinus V. *cap. Regimini*, S. Pius V. in Conſtitut. *In eam, quæ noſtro*, Sixtus V. in Conſt. Deteſtabilis, & Alexander VIII. Innocentio XI. *in propoſition. damnat.* univerſim uſuras improbant.

V. Pontificibus, Patribus, Conciliis concinunt omnes Canoniſtæ, omneſque Theologi. Omnes improbant uſuram, nulla ſive pauperum, ſive divitum habita ratione. Ergo verum, quod aſſerit in ſua Epiſtola Decretali Pontifex Summus BENEDICTUS XIV., videlicet *Scriptores plane omnes Theologiæ, & Canonum Profeſſores, plura Sacrarum Literarum teſtimonia, Pontificum Deceſſorum noſtrorum Decreta, Conciliorum*, & Patrum auctoritatem, conſpirare ad improbandam quamlibet uſuram, ſive modicam, ſive magnam, & a quocumque perceptam.

CAPUT XI.

Nicolaus Broederſen, *cæterique, qui negant, Patres, Concilia, Canones, & Pontifices, omneſque Catholicos Theologos damnare uſuram quamlibet lucratoriam, ſive parvam, ſive magnam: ſive a divitibus, ſive a pauperibus exactam, ad Tribunal Calviniſtarum, & Lutheranorum judicandi remittuntur. Mitiorum quoque Caſuiſtarum auctoritate hæretica illorum doctrina declaratur.*

I. NIcolaus *Broederſen*, & cæteri uſurarum Patroni, homines ſunt plane ſingulares. Lucere Solem in meridie, ſereno cælo, incredibili auſu negant. Patres, Pontificum Decretales, Concilia, Theologos, Raymundum, Thomam, Bonaventuram, Albertum, Alexandrum, Antoninum, Bernardinum, alioſque damnare uſuram moderatam a mercatoribus exactam aperte inficiantur. Sanctorum Doctorum textus inſigni fraude adulterant, corrumpunt, & ineptiſſimis interpretamentis eludere ſtudent. Super hoc puncto nolo amplius cum iſtis ullam habere diſputationem. Factum enim adeo luculentum eſt, Catholicos nimirum omnes ſemper, & ante, & poſt Calvinum, Molinæumque, quamlibet improbare uſuram, nulla perſonarum diverſitate ſpectata, ut incredibile videatur reperiri poſſe homines ſanæ mentis, qui hoc vel in diſputationem revocare auſint. At rem hanc incredibilem propugnat *Broederſen* cum ſuo Interprete Italo. Porro, ut aliquo ſuffundantur pudore, illos judicandos remitto ad Lutheranorum, & Calviniſtarum Tribunal.

II. Itaque Melanchthon, Molinæus, Noodt, Boehmerus, Barbayracus, Clochius, & communiter Proteſtantes, ad hoc quod attinet, ſinceriores *Nicolao Broederſen*, candide fatentur, Patres, Pontifices Concilia, Jus Canonicum, Theologoſque omnes Romanæ Eccleſiæ, omnem prorſus improbare uſuram ſitam in lucro, ſive a divitibus ſive a pauperibus, vi mutui exacto. Inepte, & ignoranter corripitur a quibuſdam hæc particula *vi mutui*. Nam certum ſemper fuit apud omnes, licite lucrum exigi poſſe ob damnum, ratione mutuationis, emergens. Hoc in caſu, non *vi mutui*, ſed *vi damni* inde *emergentis* lucrum percipitur. Abuſus ejuſdem particulæ jure a pluribus improbatur. Illa quippe particula plurimi Recentiores abutuntur, ut in

ut in quolibet mutuo inveniant lucrum ceſſans, vi cujus declinare uſuræ crimen falſo ſibi perſuadent. Joannes a S. Thoma celeberrimus præteriti ſeculi Theologus clamat, nihil eſſe his temporibus tam fœneratitium, quod, hoc confecto lucri ceſſantis titulo honeſtari non tentetur. Quid de hoc titulo ſentiat S. Thomas cum omnibus ſui, & poſterioris etiam ſeculi Theologis, alio in Opere Hiſtorice, & Theologice explicabo. Verum a diverticulo in ſemitam regrediendum eſt.

III. Ut igitur quod propoſui evidenter demonſtrem, Textus Proteſtantium in medium afferendi ſunt. Et ne cavillationi ulli, effugioque locus pateat, admoneo Hæreticos iſtos de uſura moderata loqui a quocumque percepta. Immoderatam enim, & pauperes opprimentem, nemo unus propugnavit. Ad rem ergo.

IV. Philippus MELANCTHON Lutheranus uſuras repugnare divinæ legi demonſtravit apud Boehmerum pariter Lutheranum *lib.5. tit.* 9. §. XXXIII. his verbis; „ Denique Patres ex Lege divina, & „ in primis Salvatoris, omnem uſurarum turpitudinem (damnant) „ quos ſupra redargui. *Nihilominus tamen Philippus Melanctbon* „ tempore Reformationis Patres non deferendos eſſe cenſuit in reſ- „ ponſo anno 1553. ſcripto: *Utrum uſuræ adverſus jus divinum* „ *ſint puniendæ, aut tolerandæ in Repuplica Chriſtiana?* Quod MS. „ edidit D. de Ludevig. tom. v. *Juri divino eaſdem repugnare cenſet;* „ *additque Carolum V. in Terris ſuis hæreditariis edixiſſe, ſe actio-* „ *nem uſuris denegaturum* .... Ita ergo cum vulgo, uſuras cum jure „ divino pugnare credidit *Melanctbon* „.

V. Molinæus *Tract. de Uſuris n.* 10. „ Hic advertendum, quod „ tam Theologi Scholaſtici, quam Canoniſtæ, & Legiſtæ, aliique „ magis ad literam, quam ad ſpiritum, ſeu mentem, & ſcopum di- „ vinæ legis aſpicientes cenſuerunt aliquid peculiaris, & innati vitii „ ineſſe ipſi uſuræ, vel lucro uſurario. Hinc in infinitas ambages, „ multoſque errores, & parallogiſmos inciderunt, quibus referti ſunt „ ſpinoſiſſimi eorum libri, ex eo quod non reſpexerint ad ſcopum „ divinæ legis, quæ eſt charitas, ut ipſe teſtatur Chriſtus Matth. 7.„

VI. Hugo Grotius *de jur. Beili, & Pacis, lib.* 2. *c.* 12. §. 20. *n.* 3. „ Sufficere nobis debet lex a Deo Hæbreis data, quæ vetat Hæbreos „ Hebræis pecuniam dare fœnori. Eſt enim hujus legis materia ſi non „ neceſſaria, certe honeſta moraliter; unde & aliis maxime mo- „ ralibus annumeratur Pſalmo &c. Quæ autem hujus generis ſunt, „ Chriſtianos quoque obligant .... Itaque Lactantius de Officiis tra- „ ctans hominis Chriſtiani, *non dabit*, inquit, *in uſuras pecuniam.* „ *Hoc eſt enim de alienis malis lucra captare*. Ambroſius: *Subvenire*

„ *non habenti humanitatis eſt*: *duritiæ autem PLUS extorquere* „ *quam dederis* „. Lubet plura alia tranſcibere, quæ tametſi alio pertinent, opportuna tamen ſunt ad inſtruendos *Broederſianos*, qui ex uſuræ compenſatoriæ ſpectro in favorem veræ uſuræ lucratoriæ argutantur. Subdit itaque ibi Grotius §. 21. „ Obſervandum ta- „ men eſt eſſe quædam, quæ ad uſuræ ſpeciem accedant, ac vulgo „ uſuræ eſſe videantur, cum tamen parta ſint generis alterius: ut de „ repenſando damno, quod facit, qui pecuniam dat mutuam, eo „ quod diu pecunia careat: item de lucro ob mutui dationem ceſſan- „ te, deducto ſcilicet incerto ſpei, & labore, qui ſubeundus fuerat „ En quam abludunt a vero *Broederſen*, & ejuſdem Interpres Italus, qui non raro ſic cavillantur: Licita eſt damni emergentis compenſatio, ſeu licita eſt uſura compenſatoria; ergo licita eſt uſura lucratoria. Hæc argutatio minus callere controverſiæ ſtatum demonſtrat Authores iſtos.

VII. Gerardus Nood *Lib. de fœn. & uſur. cap.* 4. „ In uſuræ, „ aut fœnoris uſu, qui quidem verus ſit, nihil eſſe, quod a bono, „ & ſapiente viro improbetur. *Contraria Catonis*, *Ariſtotelis*, *Se-* „ *necæ*, *Lactantii*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Chryſoſtomi*, *& Authorum*, „ *Interpretumque Juris Canonici ſententia*. „ In medium Adducit textus Lactantii, Ambroſii, Chryſoſtomi, Auguſtini adverſus quamcunque uſuram. Subdit ibidem: „ Poſterioribus quoque Pontifici- „ bus placuit uſuras omnibus prohibere, quaſi deteſtabiles jure „ utriuſque fœderis, & veteris & novi: *tot. tit.* x. *de uſur.*, addide- „ runt & pœnas, eaſque graviſſimas . . . . Ad hæc decrevit Cle- „ mens V. de Sententia Concilii Viennenſis *c. unic. Clement. eod. tit.* „ eum, qui pertinaciter affirmare præſumat, uſuras non eſſe pecca- „ tum, velut hæreticum puniendum eſſe. Inde increbuit ſententia „ exiſtimantium uſuras ad peccatum accedere, damnarique jure „ tum divino, tum naturali, nec Summi Pontificis indulgentia pro- „ bari poſſe. „ *Cap.* 7 *&* 8. diluit argumenta Chryſoſtomi, & rationes pro uſura explicat. *Cap.* 12. titulos redarguit, vi quorum lucrum ex pecunia credita perceptum aſſeritur licitum. Contendit his titulis *ſervari Pontificum verba*, *mentem*, *ac ſententiam circumveniri.* Ubique loquitur de uſuris moderatis, & a quibuslibet perceptis. Liber *Noodt* omnibus pervius eſt.

VIII. Juſtus Hennigius Boehmertus jus Eccleſiaſticum tomis quinque diſtinctum edidit Halæ 1736. Porro *tom.* 5. *lib.* 5. *tit.* 19. fuſo calamo evincit, Patres, Concilia, Pontifices, & Jus canonicum damnare uſuras omnes, quantumlibet moderatas, lucratorias. Pauca ex plurimis perſtringam.

§. I.

§. I. „ Æque itaque ac furtum, & rapina damnatur in jure cano-
„ nico usura; adeo ut, qui negaverit usuras percipere, peccatum esse,
„ *Hæreticus* haberi habeat per Clement „.

§. II. „ Ad primum caput quod attinet, perspicuum est de usu-
„ rarum justitia, vel injustitia judicari aliter non posse, quam si per-
„ spectum, cognitumque fuerit, utrum usuris insit fundamentum le-
„ gitimum, seu justa eas exigendi causa, *quæ tum in recta ratione,*
„ *tum in civili principio* fundata sit. Hoc ipso vero destitutas esse usu-
„ ras *clamant Patres, decernit Pontifex, & Jus canonicum in-*
„ *clamat, atque confirmat*.

§. 18. „ Patres prorsus damnarunt usuras sub pœnis „.

§. 19. „ Patres hujus seculi 4., qui per modum doctrinæ de usu-
„ ris scripserunt, in genere usuras damnarunt sine PERSONARUM
„ DISCRIMINE. Tertullianum jam ante Cyprianum eas impro-
„ basse liquet ex lib. 4. ad Marc. Ambrosius .... Chrysostomus ...
„ Pariter seculo v. eadem doctrina a Patribus inculcata est, ut liquet
„ ex Augustini locis .... & Hieronymi doctrina. Leo Papa vero ...
„ expressius prohibitionem usurarum designat. *Interim Patres leges*
„ *civiles usuram permittentes non impugnarunt* DIRECTO, *quod Or-*
„ *bis Romanus Gentilium copia adhuc abundaret: & fori civilis ra-*
„ *tio haud permitteret, ut usuræ ratione commerciorum elimi naren-*
„ *tur* „. Audiant, & meditentur hæc *Broederſiani*.

§. 20. „ Sexto seculo ulterius hæc doctrina propagata passim ...
„ Neque sequentibus seculis aliquid in ea laxatum, sed prohibitio
„ ipsa magis quotidie crevit, ut tot Conciliorum Canones evin-
„ cunt „. Ea propter in medium promit Lutheranus Doctor cujus-
que seculi Canones.

§. 25. „ Sicut vero gravem sudem commerciis intulerunt Pon-
„ tifices, & Concilia, usuras sub pœna excommunicationis prohi-
„ bendo; ita hoc factum eo iniquius censendum, quod rationes,
„ quæ pro turpitudine usurarum allegantur, partim frivolescunt,
„ partim etiam sapiunt rationem politicam hierarchiæ, quæ etiam
„ sub hac hypocrisi novum munimen accepit „.

§. 36. „ Non posse Principes Seculares usuras permittere, & le-
„ ges civiles usuras permittentes nullas esse clamat cum *Curia Roma-*
„ *na* Leotardus. *Verum inanes hos clamores* POST REFORMA-
„ TIONEM *respuit Imperium nostrum Romano-Germanicum* „. Au-
distin? Post Reformationem. Antea quippe nemo unus tantum com-
mentum somniaverat.

Ibidem: *Dicuntur ergo tales usuræ* MODERATÆ *crimen*,

Reve-

Revera tamen amplius non sunt. Item pag. 356. *Illicitæ usuræ demum fiunt per excessum, utroque foro punitæ*.

§. 43. „ Cum larvis, & spectris itaque revera *Patres*, *Pontifices*que pugnarunt „.

§. 44. „ *Usuraria pravitas est quoque in contractu Mohatra*„. Vide Gasparem Zieglerum dissert. De contract. Mohatra.

§. 46. „ Sicuti vero Juris Canonici zelus intempestivus in damnandis *in genere* usuris omnem transgressus est modum: ita nec „ mensuram in pœnis decernendis justam servavit.... Magistratibus „ quoque, & imperantibus, qui manifestos usurarios tolerant, eisque fœnebrem pecuniam exercere permittunt... imminet pœna interdicti.... *Sub pœna excommunicationis quoque prohibitum est*, „ *leges*, *aut statuta de usuris* INTER MODUM *solvendis sancire*, „ *aut debitores per sententiam ad* MODERATAS USURAS *solvendas condemnare in Clement &c.* „. Audiant hæc *Broedersiani*, & P. Pichler defensores.

IX. Joannes Barbeyracus in Opere inscripto *Traitè de la Morale des Peres de l' Eglise cap.* 9. §. 6. refert censuram sibi impactam a P. Ceillier, quod ignorantiæ Patres sanctos accusaverit, ob damnatam quamlibet, sive moderatam, sive nimiam usuram, a quocunque perceptam: & hoc præbet responsum. „ J' avois dit, que Lactance „ condamne absolument le Prêt a usure, & le regarde comme une espece de larcin, le P. Ceiller repond d' abord, qu' il semble, que Lactance, dans cet endroit ne condamne l' usure que par rapport au „ pauvre: cependant il reconnoit ensuite, & sans peine comme une „ chose tres-certaine, que Lactance condamne absolument tout „ Prêt a usure, & qu' il le traite effectivement de larcin; il avoüe encore que S. Cyprien, S. Chrysostome, S. Ambroise, S. Gregoire „ de Nysse, S. Basile, S. Jerome, S. Augustin, & plusieurs autres „ Peres de l'Eglise ont absolument condamnè TOUTE SORTE d'usures *Mais ajoute-t-il*, en cela ont-ils enseignè quelque chose con„ tre la bone Morale? *Oui sanz doute, & en même tems contre la bonne maniere d' interpreter l' Ecriture Sainte. J' ai dit, & je le repete, que c' est une des choses qui montre le plus palpablement la* „ CRASSE IGNORANCE DES PERES *de l' Eglise, & de leurs* „ *Apologistes en fait de Droit Naturel, & de Morale*.

X. Gaspar Klockius Lutheranus alteram fraudem, qua *Broedersen*, ejusquè Interpres Italus fucum facere student, inquientes, *se pecunias minime Mutuas tradere, sed ad negotiandum*, his verbis perstringit *lib.* 2. *de Ærar. cap.* 19. *num.* 2. *Experientia teste constat, quod*

quod uſurarii, OMISSO NOMINE MUTUI, *cum detegat uſuram, utuntur nomine Emptionis, & Venditionis, ut uſurarios ſuos honeſtent, pallientque contractus.*

XI. Ad hos Judices remitto *Broederſen*, alioſque, ut aliquo ſuffundantur pudore, dum negant, Patres, Concilia, Canones, & Pontifices damnare uſuras quaslibet, ſive magnas. ſive minimas. Si antiquiores Patres, Tertullianus, Cyprianus, Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus approbaſſent uſuras moderatas, quas certum eſt nunc damnari ab Eccleſia Romana; an Proteſtantes non exprobaſſent Romanæ Eccleſiæ ab antiqua Patrum doctrina defectionem? An ſimilem mutationem eidem non exprobaſſent Lutherani, & Calviniſtæ? An Barbayracus totis lateribus non inclamaſſet, Romanam Eccleſiam in hoc dogmate deſciviſſe a Patribus Sanctis? Adeo evidens, adeo manifeſtum eſt, Patres omnes, Concilia, Pontifices, & Canones omnes uſuras lucratorias damnare, ut nec ipſi Eccleſiæ Romanæ hoſtes inſenſiſſimi id negare auſi ſint. Tanta iiſdem frons, & impudentia non fuit, ut veritatem in omnium oculos ultro ſe ſe ingerentem, inficiari potuerint. Hoc ſolum factum, certum, & perſpicuum implere ignominia *Broederſen*, cæteroſque Janſeniſtas deberet. Quid? Catholici omnes, & cum ipſis Lutherani, & Calviniſtæ clamant, Patres, Concilia, Pontifices, & Canones *quamlibet uſuram* vel moderatam lucratoriam, a quocunque exactam, damnare: & manipulus parvulus deſertorum Janſeniſtarum id negare nunc audet? Et ex Catholicis quoque reperiemus nonnullos, qui Janſeniſtæ *Broederſen* adhæreant?

XII. Non ſolum ad Lutheranorum, & Calviniſtarum Tribunal, verum etiam ad Tribunal Probabiliſtarum, quorum Theologorum *Broederſen* authoritate abutitur, evincitur ſententiam de moderata uſura, hæreticum eſſe. Legantur Ludovicus Molina *tract.2. diſp.*204. Leonardus Leſſius *de juſt.& jur. lib.2.cap.*20. *dub.*4. Gregorius de Valentia *tom.* 3. *diſ.* 3. *q.* 21. *punct.* 1. Martinus Bonacina *diſp.* 3. *q.* 2. *punct.* 2. *num.* 10. Joannes Salas *tract. de uſur. dub.* 3. *num.* 3. Vincentius Filliuccius *tract.* 34. *p.* 2. *c.* 1. *num.* 10. Ægidius Trullench *in Decalog. lib.* 7. *c.* 19. *dub.* 2. *num.* 3. Thomas Tamburinus *lib.* 9. *tract.* 1. *c.* 2. §. 2. Cardinalis de Lugo de *mutuo*, & *uſura diſput.* 25. *ſect.* 2. *num.* 8. Petrus de Onnate *de contractibus tom.* 4. *diſp.* 104. *num.* 70. Joſeph Gabalinus *tom.* 1. *de uſuris lib.* 1. *c.* 7. *art.* 2. Ex ſolis Probabiliſtis, cum quibus fœdus iniere *Broederſen*, ejuſque ſocii, cenſum texui. Cæterum omnes Theologi Catholici damnant ut hæreticam, aut hæreſi proximam ſententiam *Broederſen*, & aliorum con-

contendentium uſuras moderatas a divitibus, & mercatoribus, qui ex pecuniis mutuatis lucrum faciunt, perceptas, licitas eſſe.

XIII. De ſolo facto dubitari quis poſſet, doceant ne *Broederſiani*, ſolas uſuras immoderatas, & opprimentes pauperes improbari a Patribus, ſecus moderatas, & a divitibus perceptas? Qui igitur facti periculum facere velit, legat potiſſimum libros ubi interpretantur Scripturas, & Patres; & ſingulis fere paginis eos contendentes inveniet, Scripturas Divinas, & Patres ſolas uſuras opprimentes, devoratrices, immodicas perceptas a pauperibus improbare, ſecus moderatas ab opulentis mercatoribus exactas. Eandem doctrinam ubique, data occaſione, repetunt. Nec officit, quod pluribus in locis, potiſſimum ultimis libris, confugiant ſæpe ad titulos, quos invexerunt Probabiliſtæ aliqui. Quis hæreticorum errores ſuos aliquo colore non pingit? An doctrina vel hæretica, aut hæreſi proxima, quam docent integris libris, ideo talis non eſt, quia alicubi aliegant, & defendunt alias opiniones non damnatas? Familiare hæreticis eſt, ſemeptipſos propriis antilogiis perimere. Defenſores libri Archiepiſcopi Cameracenſis de Fenellon opponebant, illum pluribus in locis ſui libri ſpem Theologicam non elidere, ſed propugnare. Sed reſponderunt Noailles Archiepiſcopus Pariſienſis, Boſſuet Epiſcopus Meldenſis, Godet Epiſcopus Carnotenſis in *Declarat. circa librum, cui titulus: Explication des Maximes &c. Pariſiis* 1697.: *Neque obſtat, quod his contraria aliis prædicti libri locis poſita videantur.... quæ ſententiarum, ac verborum tam aperta contradictio, non erroris excuſatio, ſed probatio eſt.*

XIV. Verum de libro *Broederſen* alibi, ubi ejuſdem germanam ideam ob oculos ponam, nonnulla dicam. In præſentia ſatis mihi fuit *Broederſianos* ad Luteranornm, & Calviniſtarum Tribunal remittere, ut inde ſententiam ſuæ damnationis latam audiant, videantque ſimul ab ipſis Probabiliſtis, quibuſcum fœdus iniere, confirmatam. Nec enim, ut ſupra dictum eſt, e re noſtra judicamus recta certamen cum hominibus inire, qui omnibus juſtæ, honeſtæque diſputationis regulis conculcatis, modo ad hæreticos, modo ad Caſuiſtas quosdam ſeſe transferunt: qui nullibi ſibi conſtant, ut ubique uſuris, & avaritiæ conſulant: qui apertiſſimos Scripturarum textus cavillari, frequenter inclamando, hoc aut illum verbum in textu originali deſiderari, & ſic univerſam Scripturam in diſcrimen adducere, in deliciis habent. Quare ad indicata Tribunalia *Nicolaum Broederſen*, ejuſque defenſores jure ac merito remiſimus.

CAPUT

CAPUT XII.

Author operis: Dell' impiego del danaro, *ſe Calvini, Molinæi, aliorumque Hæreticorum de uſura doctrinam propugnare aperte confitetur, & adverſus omnes Catholicos contendit ſanam eſſe hanc Proteſtantium, & ſuam de fœnore ſententiam.*

I. POrtenta nobis paſſim in ſuo Tractatu laudatus Author meditanda exhibet. Antequam hanc controverſiam diſpiciendam ſumeret, nunquam ſe eidem ſtuduiſſe faſſus eſt. Porro quodnam majus portentum, quam hominem difficillimam cauſam, quam ignorat, propugnandam ſumere? Diſputatum a duobus circiter ſæculis eſt Catholicos inter, & Calviniſtas, fit ne fœnus moderatum a divitibus perceptum, a Deo vetitum. Negantibus Hæreticis, adfirmarunt ſemper Catholici omnes, Eccleſiarum Synodi, Univerſitates. Factum iſtud certum, manifeſtum, luculentumque. E Catholicorum ſinu Vir laicus, Theologicæ controverſiæ omnino ignarus erumpit in medium, inter utramque partem arbiter ſedet, atque Calvinianorum de fœnore ſententiam ſanam, innoxiamque pronunciat.

II. Incredibilia hæc tibi ſunt: ſed audi Authorem hunc noſtrum ſic ſcribentem *lib. 3. c. 1. pag. 215. Mi ſovien ora, come non pochi ci ſono, a quali ragion baſtevole per deteſtar la corrente pratica, e per impugnare chiunque la protegge, ſembra eſſer quella, che ſcrittori dal grembo della Cattolica Chieſa eſcluſi l' hanno in* FAMOSI LIBRI *acremente ſoſtenuta, e difeſa. Queſta ragione, che da taluni vien celebrata ſopra tutt' altre, e da non pochi replicata con artificio pompoſamente, ha preſſo di* ME *del* MIRABILE. *Tengono gli Eretici, che adorarſi debba un Dio ſolo: non dovremo dunque farlo, per non convenire in queſto con loro? E' dunque ereticale tutto ciò che ha detto Calvino, e contiene dunque l' errore di Gianſenio tutto ciò, che i Gianſeniſti hanno ſcritto? Or che diremo di tante altre dottrine, e regole di coſtumi, nelle quali convengono gli Eterodoſſi con noi? Poiche in materia morale pochiſſimi ſono i punti, nè quali diſcordiamo.*

III. Evidens ergo eſt, atque extra omnem diſputationem, Itaſum Interpretem *Nicolai Broederſen* docere doctrinam de fœnore, quam in ſuis perniciosis libris audactiſſime Calvinus, Molinæus, Salmaſius, aliique Hæretici propugnant, eſſe ſanam, innoxiam, honeſtæque praxis, & operationis rectam normam. Catholici omnes

ut hæreticam Calviniſtarum, Lutheranorumque de fœnore doctrinam deteſtantur. Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. eamdem in hac ſua Decretali damnavit, oppoſitamque definivit. Quid heinc? Legitimam, quæ ſponte fluit, conſequentiam colligendam relinquo paucis *Broederſianis*. Neque nos dicimus omnia, quæ hæretici docent, eſſe hæretica; Sed adſirmamus Calviniſtarum de fœnore doctrinam eſſe hæreticam, quod ſit Dei Verbo, & Romanæ Eccleſiæ doctrinæ adverſa. Plura citata *pag. & ſeq.* Author noſter habet, quæ prætereo. Subdit inter alia: *Quanti zelanti Cattolici citano con approvazione luoghi di Scaligero, di Caſaubono, di Grozio, e d' altri tali de punti dove non errano*. Optime. At Calviniſtas in hac de fœnore controverſia errare docent Catholici omnes. Negat Author noſter. Eccleſia in tempore judicabit, ſeu judicium jam latum declarabit. Sequitur. *Ma in ogni caſo a me non potrà certamente eſſer rimproverato d' aver preſo nulla in queſto punto da loro, perche io non gli ho letti .... Se adunque in qualche coſa mi riſcontraſſi con alcun di loro, avverrebbe puramente per neceſſità, quando ſi tratta il ſoggetto iſteſſo: ma io tengo per fermo, che poco mi ſarà ciò accaduto: poiche ragionando tal volta con chi gli ha letti, mi pare di raccogliere che vadano per via differente, e che ne punti più importanti, benche ſi dotti, non vedeſſero forſe molto, e poco avanti in queſto ſentiſſero*, Factum certum eſt; nihil nimirum in univerſo Opere *Dell' impiego del danaro* reperiri, quod, ut alias diximus, uberius, efficaciuſque a Molinæo & Salmaſio non ſit explicatum. Et hoc mirum eſt, quod Author iſte adamuſſim omnia ſcripſerit, quæ a duobus circiter ſæculis ſcripta ab Hæreticis fuere, quin eoſdem legerit. Sed id forte accidit, quia legit *Broederſen*, in quo uno omnia Hæreticorum de uſura collecta reperiuntur. Tandem ſubdit. *Mi vien detto, che accordano* (gli eretici) *i Santi Padri eſſer dell' opinion contraria a quella, che quì ſi eſpone, il che, come abbiam veduto, è* FALSISSIMO; *e che concedono altresì contrarj eſſer i Concilj, ed i Papi, il che parimente è falſo*. Ergo juxta Authorem noſtrum veriſſimum eſt, SS. Patres, & Concilia, & Pontifices adprobare uſuras moderatas a divitibus exactas. Hæretici enim quam veriſſime docent, Patres, Concilia, & Pontifices improbare omnes prorſus uſuras. Author noſter hoc *falſiſſimum* eſſe aſſerit, nempe Patres, Concilia, & Pontifices uſuras omnes nempe moderatas, & a divitibus perceptas damnare. Ergo Author Operis *Dell' impiego del danaro* defendit moderatas uſuras, tamquam a Patribus, Conciliis, & Pontificibus probatas. Fruſtra ergo, & nimis inepte obtegere errorem ſtudet, vocabulorum *Pro*, *Frutto*, *Provento*, involucris.

COM-

COMMENTARII IN EPISTOLAM BENEDICTI XIV.

ADVERSUS USURAM

DISSERTATIO II.

CAPUT I.

INTRODUCTIO.

I.

DOCTRINAM Dogmaticam, seu articulos Catholicæ doctrinæ adversus usuram in discrimen adductos declaravit, confirmavitque BENEDICTUS XIV. Pontifex Summus in priore, quam dedimus, Epistolæ parte, & *Errores Dogmaticos*, seu qui cum iisdem firmatis articulis pugnant, non expresse, sed necessaria consequutione, ut ego quidem arbitror, proscripsit. In hac vero altera Epistolæ parte plura decernit, quæ opiniones a quibusdam Casuistis, & Theologis Catholicis in Christianam Æthicen invectas spectant. Documenta saluberrima in contractibus ineundis servanda præscribit. Extrema vitanda patefacit. Hæc omnia, ordine servato, & majori, qua potero, perspicuitate exponam Istius itaque secundæ Commentarii partis hæc erit partitio. Primum textum Epistolæ simplici, brevique interpretatione explicabo. Deinde capita dumtaxat, quæ longiorem postulant disputationem, fusius sermone persequar, atque illustrabo.

CAPUT II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Per hæc autem nequaquam negatur posse quandoque una
„ cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos,
„ eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime inna-
„ tos, & extrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa om-
„ nino, legitimaque causa consurgat, quiddam amplius su-
„ pra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item
„ negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam,
„ per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contra-
„ ctus recte collocari, & impendi, sive ad proventus sibi
„ annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam,
„ & negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra
„ percipienda.

§. UNICUS.

Possunt interdum occurrere tituli a mutuo vere sejuncti, quorum vi ex pecunia mutuatitia lucrum jure exigatur. Quisque etiam per contractus a mutuo omnino diversos sua pecunia lucrari, annuosque emere proventus valet. Duo sanæ Doctrinæ Articuli confirmantur: & duo errores proscribuntur. Doctrina apud P. Thomam Tamburinum singularis.

I. DUO summi momenti capita in rescripto textu declarantur, adversus nempe usurarum patronos. Hi continenter inclamant, sterilem absque usuris pecuniam jacere. Societatem, & commercia penitus interire. Ut istorum ora obstruat Pontifex Summus, duos justi lucri fontes aperit; eoque verborum delectu id præstat Pontifex Doctissimus, ut & errores convellat, & sanam doctrinam confirmet. Singula verba, utpote consulto adhibita, attente, accuratoque perpendenda sunt. Advertit ergo primum Pontifex Summus, ex articulis a se institutis, & confirmatis nequaquam consequi, non posse quandoque occurrere una cum ipso mutuo titulos,

los, quorum vi lucrum ex pecunia mutuatitia captum, juſtum evadat. Quod, ut clarius aſſequaris, ſcias oportet Theologos, qui preſſe, accurateque ſcribunt, hoc pacto definire uſuram. *Lucrum perceptum ex mutuo, vi mutui*. Iſtæ duæ particulæ *vi mutui* hunc produnt ſenſum: Ut lucrum fœneratitium ſit, redire debet ex ipſa mutui natura, ſeu ob mutuationis officium. Quoniam ſi mutuationis contractui ſuperveniunt alii tituli veri, &, ut ajunt, *reales* a mutui natura diſtincti, tum ex pecunia mutuatitia lucrum capies, non *vi mutui*, ſed *vi tituli ſupervenientis*. Ne multa. Pecunia mutuatitia tum evadit fæcunda, non ratione mutui, ſed tituli extrinſecus advenientis cauſa. Hæc eſt doctrina certiſſima penes omnes Theologos. Quæ autem conditiones requirantur, ut præfati tituli locum habeant, non eſt hujus loci explicare.

II. Sub iſtius autem veræ doctrinæ pallio error graviſſimus, & omnium pernicioſiſſimus invectus a nonnullis eſt: videlicet ineſſe mutuo ſemper titulum aliquem, veluti eidem inſitum, ſeu *innatum*, vi cujus lucrum ab uſuræ pravitate immune evadat. Aliquod enim, inquiebant non pauci, periculum probabile innatum, ſeu indivulſum a mutuo ſemper occurrit. Licitum ergo lucrum ex mutuo perceptum vi ejuſmodi periculi.

III. Audias velim doctrinam apud P. Thomam Tamburinum ſatis feſtivam, qua hoc periculum explicat *lib. 8. tract. 3. c. 8. §. 4. nu. 1. Quando rationabiliter timetur periculum, vel difficultas, vel expenſæ in recuperando mutuo, atque hæc oriuntur ratione perſonæ mutuarii, poteſt aliquid proportionatum exigi ſupra ſortem .... Dixi rurſus (rationabiliter timetur) nam ſi pericula timeantur ex ſola puſillanimitate, negant* Plerique *cum* Molin. Sal. *apud de Lugo mox citat. poſſe quid ultra ſortem accipi, quia tunc illorum periculorum non eſt cauſa mutuum, ſed mutuantis vitiata diſpoſitio*. Verum de Lugo *innuit poſſe, licet denique aliorum judicio relinquat. Ratio eſt, inquit, quia præter matrimonium, pro quo aliud potuit in jure ſtatui, in aliis contractibus cauſa hæc immediata, cur poſſit quid exigi, eſt* Angor, & Moleſtia, *quæ mutuans paſſurus eſt, toto v. g. anno, propter timorem amittendi ſortem, quæque ſubire ipſe non obligatur ſine pretio* At hæc jam in eo puſillo adſunt. *Ergo &c.*„

IV. Omnes avari ſunt puſilli: & quo avariores, eo puſilliores: quo enim ardentius pecuniam depereunt, eo altius pavent, anguntur, & triſtantur perdendæ ſortis timore. Quid, quod etiam dum obſeratos in ſcrinio catenis devincto nummos tenent, furum, & domeſticorum inſidias verentur puſilli; nullumque inveniunt, qui tantæ moleſtiæ,

ſtiæ, angor iſque pretium ſolvat. Hi, & alii tituli, quos mox pate-faciam, ſunt veluti mutuo intimi, ſeu *innati*, quorum vi, ſi lucrum licitum eſſet, nulla in mundo uſura foret. Meditanda eſt prudens loquendi ratio P. Tamburini. *De Lugo*, inquit Tamburinus, *innuit poſſe* accipi lucrum ob timorem puſillorum perdendæ ſortis. Hoc tamen relinquit aliorum judicio: ſecurus ille (addo ego) futuros fore juniores, qui *probabili judicio* hanc opinionem a ſe invectam amplexuri ſint ambabus ulnis. Natura quippe benigna in puſillorum favorem, & patrocinium fertur. Et reapſe Tamburinus in reſcripto textu concludit in puſillo hæc adeſſe. *At hæc jam in eo puſillo adſunt.* Quando periculum *juris*, & non *facti* poſſit interdum eſſe cauſa lucrandi, alibi dicetur.

V. Porro duo præſtat paucis verbis Pontifex Summus in reſcripto textu. Primum docet *quandoque* cum mutuo occurrere titulos poſſe ipſi mutuo minime intimos, & veluti innatos, ut eſt innatus avaris hominibus timor ſortis perdendæ, ſed extrinſecus ſupervenientes, quorum præſidio lucrum licitum evadit. *Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos* Forte *occurrere, ex quibus juſta omnino, legitimaque cauſa conſurgat quidquam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi*. Singula fere verba magnopere perpendenda. *Forte, quandoque*. Fieri poteſt, ut interdum accidat: *titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos*. Tituli ejuſmodi *univerſim* non comitantur mutui naturam: non ſunt eidem veluti intimi, & innati. *Forte concurrere*, contingens eſt, ut eveniant, aut ſecus. Quod ſi revera contingunt, ſi re ipſa ſint a mutui natura omnino diverſi, juſtam cauſam præbent, cur quidquam ſupra ſortem accipi *rite* poſſit. Hæc eſt doctrina ab omnibus admiſſa, quam Pontifex Summus probat. Hanc neceſſario conſequitur damnatio deſcripti *Erroris*, videlicet mutuo ineſſe aliquod ſemper periculum, ſeu alium titulum, vi cujus poſſit lucrum moderatum exigi.

VI. Alterum doctrinæ articulum probat Summus Pontifex: nempe plures eſſe legitimos, juſtoſque contractus a mutuo prorſus diverſos, in quos diſtrahi ad lucrum pecunia poteſt. Sunt quippe contractus cenſus realis, veræ, non fictæ Societatis, emptionis, & venditionis; eſt mercatura licita, & honeſta. Hi ſunt fontes, qui irrigare pecuniam valent, eamque fœcundam reddere. *Neque item negatur poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam per alios diverſæ prorſus*

prorſus naturæ a mutui natura contractus recte collocari, & impendi. Perpendenda ſunt hæc verba: per alios *diverſæ prorſus natura a mutui natura contractus*. Ut contractus ſint juſta lucrandi cauſa, & ab omni uſura immunes, ſuam naturam, ſeu eſſentiam prorſus a mutui natura diverſam habeant, neceſſum eſt. Quibus verbis rejicitur *Error* graviſſimus non paucorum *Juniorum*, qui in ipſius mutui natura contractus, aut innominatos, aut implicitos commenti ſunt, ut evidentius mox dicemus, dum explicabimus textum Epiſtolæ *num.v.* poſitum. Duobus conſtitutis articulis obſtruuntur ora eorum, qui clamant, ſublatis uſuris otioſam remanere pecuniam, viamque lucrandi clauſam eſſe. Duobus quoque rejectis erroribus, doctrina adverſus uſuram perſpicua fulget, & tuta conſiſtit.

CAPUT

CAPUT III.

„ Quemadmodum vero in tot ejuſmodi diverſis contra-
„ ctuum generibus, ſi ſua cujuſque non ſervatur æqualitas,
„ quidquid plus juſto recipitur, ſi minus ad uſuram, (eo
„ quod omne mutuum tam apertum quam palliatum abſit)
„ at certe ad aliam veram injuſtitiam, reſtituendi onus pa-
„ riter afferentem ſpectare compertum eſt: Ita ſi rite omnia
„ peragantur, & ad juſtitiæ libram exigantur, dubitandum
„ non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus mo-
„ dus, & ratio ſuppetat humana commercia, & fructuoſam
„ ipſam negotiationem ad publicum commodum conſervan-
„ di, ac frequentandi. Abſit enim a Chriſtianorum animis,
„ ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias florere poſſe lu-
„ croſa commercia exiſtiment, cum contra ex ipſo oraculo
„ divino diſcamus, quod *juſtitia elevat gentem, miſeros au-*
„ *tem facit populos peccatum*. PROV. 14.

§. UNICUS.

Sæpe in contractibus vitium injuſtitiæ ſerpit, quamvis nulla uſura ſit.

I. DUO facilia, & cuique pervia confirmat *Pontifex Summus*. Alterum eſt, quod tametſi contractus a mutuo diſtincti ſint natura ſua juſti, & honeſti: tamen, ſi æqualitas non ſervetur, non uſuræ, ſed injuſtitiæ crimen committitur. Vulgaris error eſt, quodlibet contractuum vitium uſuræ malitiam continere. Qui error nimium craſſus eſt. Quando in contractu aliquo includitur mutuum aut apertum, aut palliatum, & vi ejuſdem lucrum percipitur, tum uſuræ flagitium perpetratur. Contra, ſi mutuum nullum ſit, & æqualitas non ſervetur in contractu, tum non uſura, ſed injuſtitia committitur. In vero contractu emptionis, aut venditionis ſi leges juſti pretii non ſervas, injuſtus, non fœnerator evadis. In contractu veræ, non fictæ ſocietatis, jura æqualitatis ſi lædis, injuſtitiæ, non uſuræ reus haberis. Plus juſto locas domum, agrum &c. Injuſtus,

non

non uſurarius es. Ubi enim non eſt mutuum expreſſum, aut implicitum, uſura eſſe nequit. In aliis contractibus, alioquin natura ſua honeſtis, licitiſque æqualitas non ſervatur inter mercem, & pretium, inter induſtriæ, & pecuniæ valorem; & injuſtitiæ, doli, fraudeſque frequenter occurrunt. Quamobrem Summus Eccleſiæ Paſtor, non modo ab uſuræ ſcelere, ſed a cujuſque injuſtitiæ vitio ſervare gregem ſuum magnopere cavens, poſtquam, in quo ſitum uſuræ vitium ſit, patefecit, ſubdit continuo, cavendum ſimiliter eſſe ab injuſtitiæ criminibus. Hæc facilia ſunt, nec egent Interprete.

II. Alterum, quod conſequitur, eſt, contractus natura ſua juſtos, honeſtoſque ſatis eſſe ad commercia peragenda, ad negotiationem exercendam. Quo documento Pontifex errores illorum convellit, qui diſſeminare in vulgus audent, conſiſtere mercaturam haud poſſe, ſublatis moderatis uſuris a mercatoribus divitibus exactis. Quem quidem errorem ego refellam infra. Nolo enim nunc Commentarii filum abrumpere.

CAPUT IV.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Attamen pietatis veſtræ ſtudium, ac religionem inflam-
„ mandam exiſtimamus, ut hæc, quæ ſubjicimus, exe-
„ cutioni demandetis.

§. I.

Documenta quædam, quæ exequenda diligentiſſime admonet Pontifex Summus, breviſſime exponuntur.

I. PAululum hic Decretalis Epiſtolæ ordinem inverto. Textum ſub *num.* v. poſitum, qui princeps eſt, majoriſque momenti, ultimo loco explicandum exiſtimo. Aperit enim viam ad ampliſſimam diſputationem adverſus *Errorem Caſuiſticum* plene exponendum. Nil interim Epiſtolæ iſtius indictum præteribo. Solum quæ minoris momenti, & intellectus facilioris ſunt, prius expono, ut liber poſtea campus pateat ad alterum, poſt *Dogmaticum punctum* jam explicatum, Articulum capitalem tractandum. Documenta autem, quæ, ut exequutioni demandentur, Pontifex Summus hortatur, ſunt ſequentia.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Primum graviſſimis verbis Populis veſtris oſtendite uſuræ la-
„ bem, ac vitium a divinis literis vehementer improbari.
„ Illud quidem varias formas, atque ſpecies induere, ut Fi-
„ deles Chriſti Sanguine reſtitutos in libertatem & gratiam,
„ rurſus in extremam ruinam præcipites impellat. Quocir-
„ ca ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant,
„ ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, *ſed po-*
„ *tius ab illis, qui doctrinæ, ac virtutis gloria ſupra cæteros*
„ *efferuntur, conſilium expoſcant.*

§. II.

A Sanctis Patribus, & iis Theologis, qui doctrina, & Sanctitate ſplendent, conſilium in his potiſſimum controverſiis capiendum eſſe docet Pontifex Sanctiſſimus.

I. Dignum Sapientiſſimo Pontifice BENEDICTO XIV. monitum. Graviſſimam moniti rationem præmittit. Gravi atque ferventi oratione Fidelibus inculcandum a Sanctis Paſtoribus eſt, quanta ſeveritate in Sacris Literis uſuræ ſcelus improbetur. Sed de hoc potiſſimum inſtruendos populos admonet; videlicet uſuræ vitium ſæpenumero larvatum incedere. Cupiditas quippe divitiarum, omniumque malorum origo, veluti Magiſtra quædam docta, atque verſuta, fucos, technas, coloreſque in dies excogitat, quibus uſuræ deformitatem occultet, formamque eidem affingat venuſtiſſimam. Mens humana facile his lenociniis ſeducitur, ut vitium in virtutem transformatum amplectetur. Fallacias iſtas, atque cavillos internoſcere difficillimum eſt. *Quocirca* (inquit Pontifex) *ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur*: Porro ut has fallentis cupiditatis artes, inſidiaſque dignoſcere fideles poſſint, illorum Doctorum, qui ſanctitatis, non ſecus, ac doctrinæ gloria fulgent, ſententias amplectantur, inquit Pontifex Summus his verbis: *Sed potius ab illis, qui doctrinæ, ac virtutis gloria ſupra cæteros efferuntur, conſilium expoſcant.* Heinc rejectus

ctus error eſt Caramuelis, aliorumque aſſerentium fidei dogmata a veteribus, a junioribus vero morum regulas hauriendas eſſe. Inquit enim Caramuel Theolog. fundament. n.1330. edit. Lugd., *Se in omnibus plus rationi, & dialecticæ, quam authoritati detuliſſe*. Plura in confirmationem Pontificii Documenti afferre poſſem; verum quia hoc idem infra repetitur, & nos deinceps de eodem verba facturi ſumus; idcirco nunc a pluribus recenſendis ſuperſedeo.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Secundo loco, qui viribus ſuis, ac ſapientiæ ita confidunt,
„ ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent (quæ
„ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum ſcien-
„ tiam requirunt) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt,
„ longe ſe abſtineant.

§. III.

Quinam ad has dirimendas controverſias idonei ſint: Qua via potiſſimum Evangelicæ Moralis ſtudium comparandum: A Laicis ne, an a Religioſis viris petendæ ſint de rebus Theologicis deciſiones.

I. Scite Pontifex Summus admonet, non *exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum ſcientiam requiri* ad quæſtiones de uſuris reſolvendas. Sed in hoc difficultatis vertitur cardo, quid *Sapientiæ*, quid *Sacræ Theologiæ* nomine intelligendum ſit: quinam ii ſint, qui huic Sacræ interpretandæ Sapientiæ apti inveniantur, & quibuſnam prærogativis præditi ſint, oporteat, qui hoc ingredi Sacrarium, hæcque interpretari arcana velint. Laici ne, an Deo ſacrati viri? Quemadmodum veſtis, color, figura, & cætera ſigna animum haud efficiunt meliorem, ita nec ad ſcientias divinas comparandas habiliorem conſtituunt. Chriſtianorum nemini negatum abſolute eſt, Sacras Literas, ſeu divinam Theologiam interpretari, diſputare, atque commentarios in eandem edere. Abſit ergo, ut religioſis viris jus divinæ interpretandæ Theologiæ ita aſſeramus, ut laicos excluſos abſolute velimus, quos non excludit Eccleſia. Quin omnibus indiſcriminatim illud concedimus, dummodo iis inſtructi ſint dotibus, quæ

neceſſario ad tantum obeundum munus requiruntur. Quænam hæ? Audiant primum vel ipſum Ethnicum Ariſtotilem *lib.* 1. *Eth. lect.* 3. *Amplius autem paſſionum ſequutor exiſtens, inaniter audiet, & inutiliter, quia finis eſt non cognitio, ſed actus. Differt autem nihil, juvenis ſecundum ætatem, aut ſecundum morem juvenilis. Non enim a tempore definito, ſed propter ſecundum paſſiones vivere, & perſequi ſingula. Talibus enim inutilis cognitio fit.* Audiant Sanctum Thomam Aquinatem hunc textum interpretantem: *Conſiderandum eſt, quod ſcientia moralis docet homines ſequi rationem, & diſcedere ab his, ad quæ paſſiones animæ inclinant; quæ ſunt concupiſcentia, ira, & ſimilia .... Dicit ergo* (Ariſtoteles) *quod ille, qui eſt Sectator paſſionum, inaniter, ideſt ſine aliqua efficacia audiet hanc ſcientiam, & inutiliter, ideſt abſque conſequutione debiti finis. Finis enim hujus ſcientiæ non eſt ſola cognitio, ad quam forte pervenire poſſent paſſionum Sectatores, ſed finis hujus ſcientiæ eſt actus humanus, ſicut & omnium ſcientiarum practicarum. Ad actus autem virtuoſos non perveniunt, qui paſſiones ſectantur. Et ſic nihil differt quantum ad hoc, an auditor hujus ſcientiæ ſit juvenis ætate, vel juvenis moribus, ideſt paſſionum Sectator.* Quod ſi hæc vel in ipſo Auditore, quid in Doctore Moralis ſcientiæ requiret Ariſtoteles? Et ſi ad ipſam naturalis juris Ethicen comparandam paſſionum victoria, morum integritas neceſſaria eſt, quid, amabo te, de altiſſimæ Chriſtianæ Ethices ſcientia dicendum?

II. Verum, Ariſtotile miſſo, Paulum detonantem audiant *ad Cor.* 1. *verſ.* 19. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi Sapiens? Ubi Scriba? Ubi conquiſitor hujus ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?* Mente ſua vetera ſapientum monumenta revolvant mundi homines. Spectent Socratem, Platonem, Ariſtotilem, alioſque innumeros de naturali Theologia: Xenophontem, Tucididem, Salluſtium, Livium, Cæſarem de hiſtoria: Demoſthenem, Tullium de eloquentia: &, ut de noſtris tum antiquis, tum recentioribus quidquam dicam, Tertullianum, Origenem, Bernardum, Thomam, alioſque de Sacris Literis ſcribentes. Quorum hæc? Ut oraculum Pauli intelligas: *Perdam Sapientiam Sapientium*: ut videlicet tibi compertum ſit, vana eſſe omnia, ſi Chriſti ſcientia deſit. Heinc etiam colligas velim quanti Deus hanc mundi ſcientiam facit, quam adeo larga manu inimicis ſuis donavit. In Chriſtiana Schola miſera vetula apprime callens articulos Symboli, Platone, & Ariſtotile ſapientior eſt.

III. Inepta hæc ſunt, inquis. De Fidelibus, & Catholicis nunc

ſermo eſt. Bene habet. At quemadmodum ſola profeſſio monaſtica Sacrarum Literarum Interpretem non efficit: ita ſane nec profeſſio Catholica Laicum Theologum conſtituit. Ne itaque pluribus te detineam, en viam planiſſimam Scientiæ Theologiæ Chriſtianæ comparandæ, & aliis tradendæ. Juges preces, jejunia, carnis conflictatio, temporalium negotiorum abdicatio, animi demiſſio, humilitas ſpiritus, mentis docilitas: Paſtoribus, quos Deus conſtituit regere Eccleſiam ſuam, obedientia; facilisque aſſenſus eorum doctrinis, & ſermonibus, Crucis denique Chriſti meditatio. Qui hæc poſſident, ſint laici, ſint Sacerdotes, Sacræ Evangelicæ Theologiæ ſtudere, eam interpretari, aliiſque tradere valent; conſultis tamen in anteceſſum Scripturis, Patribus, Conciliis, cæteriſque Sacræ Scientiæ Documentis, nec non Doctoribus ſapientia, ac ſanctitate præſtantibus. Quo longius ab his abſunt, eo in Theologia Chriſti hebetiores, eo ad hanc ſapientiam abſconditam in myſterio ineptiores homines ſunt. Sacerdotibus quodammodo ſtudium Chriſtianæ Theologiæ idcirco vindicatur, quod a mundi curis avulſi ſint, quod vinculo propriæ profeſſionis, precibus, jejuniis, obedientiæ, animi corporiſque caſtitati, & cæteris virtutibus, quæ ad ſapientiam evangelicam comparandam viam ſternunt, ornati reputantur, & vi profeſſionis eſſe tales debent. Cæterum, ſi his carent dotibus, Theologiæ Chriſtianæ tradendæ minus idonei ſunt, tametſi ingenio, & eruditione abundent, & ſacram veſtem induant, Contra, ſi laicorum quiſpiam revera his virtutibus abundantius fulgeat, præſtantior Theologus erit Religioſis viris.

IV. At in medium parumper veniat Hieronymus, qui *lib.* 2. *Epiſt.* ad Paulinum *Epiſt.* 1. conſueta ſua vehementi oratione in ſui temporis Laicos invehitur, qui vanitatis vento inflati, æſtroque ſuperbiæ perciti adverſus Epiſcopos, Clerum, Sanctoſque Doctores interpretandæ divinæ Scripturæ jus ſibi arrogabant, peritiamque jactabant. Altius rem arceſſit Doctor Sanctus: illum ſequamur, debitum ingerentem interrogandi Sacerdotes de Lege „ Aggæus Prophæta, immo per „ Aggæum Dominus, *Interroga*, ait, *Sacerdotes legem*. Intan„ tum Sacerdotis officium eſt, interrogatum reſpondere de lege. Et „ in Deuteronomio legimus: *interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi*. „ Phariſæi elato ſupercilio mirantur in Petro, in Joanne, atque in ipſo Chriſto ſcientiam, quam non didicerant. Duodecim annos Salvator natus ſenes legis quæſtiones docet. *Niſi forte*, pergit Hieronymus, *ruſticum Petrum*, *ruſticum dicimus Joannem*, *quorum uterque dicere poterat*: & *ſi imperitus ſermone*, *non tamen ſcientia*,

2. *Cor.*

2. *Cor.* 11. *Joannes ruſticus, piſcator indoctus? Et unde vox illa obſecro*. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? . . . . *Hoc doctus Plato neſcivit. Hoc Demoſthenes eloquens ignoravit*. Lex Dei ſpiritualis: Moralis Chriſti Theologica humilitate concepta, paupertate parta, tormentis, & ſanguine alta, elatum faſtidit ſupercilium, tumentem ſpiritum refugit. Contemplandum ſui ſeculi ſcitulis proponit Hieronymus Eunuchum ſanctum, qui ab extremis mundi finibus venerat ad templum: qui aulam regiam reliquerat, & adeo divinæ Legis erat amator, ut etiam in vehiculo Sacras Literas legeret, quin intelligeret. Sanctiores ne nos, aut ſtudioſiores Eunucho iſto? Nulla fere ſine magiſtro ars. Tandem concludit Doctor Sanctus. *Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant. Scribimus indocti, doctique poemata paſſim. Hanc garrula annus, hanc delirus Senex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alii adducto ſupercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de Sacris Literis philoſophantur*. Quid, clamat Sanctus Gregorius Papa? Altiſſimam CHRISTI JESU Theologiam, quæ jubet cohibendam cupiditatem omnium malorum radicem, divitiarum contemptionem, deteſtandam ambitionem, luxum, faſtumque; quæ nos poſſidere divitias vult, tanquam non poſſidentes, quæ inhiare lucro nos prohibet: hanc, inquam, divinam Theologiam illi ne docebunt, qui tantum abſunt ab his virtutibus, quantum accedunt oppoſitis vitiis? Qui jura ſcientiarum ſibi vindicantes paſſim cæteris Antiquioribus improperant imperitiam, oſcitantiam, illoſque ineruditos, atque ignorantes evulgant, ut ſoli emineant, ut ſoli ſapere videantur? Audiamus Pontificem Sanctum. *Communem ſententiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æſtimentur, & quædam nova ſemper requirunt: quæ dum alii negant apud imperitorum mentes, ipſi de Scientia ſingularitate gloriantur. Lib.* 5. *Moral.* c. 18. Plurima in hunc finem adferre ex omnibus Patribus poſſem, qui uno ore lamentantur, Chriſtianam Theologiam ab illis tractandam ſuſcipi, qui Paganorum Theatra cum Chriſti Templis, qui augendarum divitiarum æſtum, cum paupertatis evangelicæ ſpiritu conſociare haud quaquam erubeſcunt. Sed nunc prætereo hæc omnia, plura dicturus in tempore. Interim omnibus ſervandum recordor Sapientiſſimi Pontificis noſtri BENEDICTI XIV. documentum, ut ſcilicet in Controverſiis de uſuris *ab illis, qui doctrinæ, & virtutis gloria ſupra cæteros efferuntur, Conſilium expoſcant*. Aliud quoque non minus ſaluberrimum ejuſdem monitum inculco; videlicet, *ut*

ab

ab extremis , quæ ſemper vitioſa ſunt , longe ſe abſtineant . De hoc infra .

V. Audio adverſus me clamantes omnes : Tu ne Chriſtianæ Theologiæ tradendæ idoneus Magiſter ? Tu ne jejuniis , precibus , cæteriſque virtutibus ſplendes , quibus Evungelii præco , morum doctor fulgere debet ? Tantum abeſt , ut has me habere virtutes exiſtimem , quin , ut S. Bernardus loquitur , de illis potius Monachis unum me eſſe ſcio , qui dicunt , & non faciunt . Vereor , ne Deus mihi quoque improperet : *Quare tu enarras juſtitias meas , & aſſumis teſtamentum meum per os tuum* ? At iſtius imbecillitatis meæ conſcius , ne alios deciperem , non memetipſum ſequutus ſum , non cerebrum , non ingenium meum , quod ſentio quam ſit exiguum , ſed Sanctos illos Viros , qui non minus Sanctitatis , quam doctrinæ gloria fulgent , juxta monitum Pontificis noſtri Summi BENEDICTI XIV.



CAPUT

CAPUT V.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi quem-
„ quam, & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri SEMPER,
„ ac præſto ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos alios
„ legitimos, VEL SECLUSO ETIAM MUTUO, CONTRA-
„ CTUS ALIOS JUSTOS, *quorum vel Titulorum, vel Con-*
„ *tractuum* præſidio, QUOTIESCUNQUE pecunia, frumen-
„ tum, aliudve id generis altericuicunque creditur, toties
„ ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem inte-
„ gram, ſalvamque recipere. Ita ſiquis ſenſerint, non
„ modo Divinis Documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de
„ uſuris judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui,
„ ac naturali rationi procul dubio adverſabitur. Neminem
„ enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus te-
„ netur homo ſimplici, ac nudo mutuo alteri ſuccurrere,
„ ipſo præſertim Chriſto Domino edocente: *Volenti mutuari*
„ *a te, ne avertaris*, & quod ſimiliter multis in circumſtan-
„ tiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, juſtoque con-
„ tractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ
„ conſultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere
„ ne cum mutuo juſtus alius *titulus; vere ne juſtus alter*
„ a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod
„ quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

§. I.

STATUS SECUNDÆ PARTIS CONTROVERSIÆ APERITUR.

Duo graviſſima capita Pontifex Summus decernit, firmatque in deſcripto Textu. Præceptum mutui in memoriam revocatur.

I. UT pleno in lumine ſecundam partem iſtius controverſiæ ponam, duo puncta graviſſima, quæ perſpicue Pontifex Summus definit, atque confirmat, oculis omnium ſubjiere hoc loco exiſti-

existimavi. Primum est, non semper cum mutuo legitimos titulos occurrere, vi quorum lucrum ex pecunia mutuatitia licitum sit. Alterum, neque contractus a mutuo distinctos, & in eodem mutuo veluti implicitos, semper præsto esse, quotiescunque alteri pecunia creditur, ut inde justum colligi lucrum possit. Duos OPPOSITOS ERRORES damnat Pontifex Summus, inquiens: *FALSO SIBI quemquam, & nonnisi temere persuasurum, reperi SEMPER, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo contractus alios justos &c.* Declarat hos duos ERRORES & divinis literis, & Ecclesiæ judicio, & communi sensui repugnare. *Ita si quis senserit, non modo divinis documentis, & Catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur.* Hæc duo alta mente reposita maneant, videlicet *Tituli*, & *Contractus*, quos *semper* occurrere plures docent, dum pecunia mutuo creditur, ut mox palam faciam. Consideres velim *To semper* in quo potissimum virus occluditur; quoniam interdum occurrere titulos, aut contractus justos nemo inficiatur. Monet deinceps Pontifex Summus mutui præceptum *multis in casibus* urgere, eoque devinctos Christianos succurrere indigentibus debere. *Multis in casibus tenetur homo simplici, ac nudo mutuo alteri succurrere.* Si enim frequenter eleemosynæ mandatum gravissimum urget, potiori sane jure adstringit præceptum mutuandi indigentibus, qui sortem opportuno tempore restituere valent. Addit multis in circumstantiis, nulli vero, præter unum mutuum, justoque contractui locum esse. Tandem concludit, quemquam debere suæ conscientiæ consulere, atque in id animum intendere, num revera in pecuniæ traditione, alii tituli *vere* legitimi, & justi: alii contractus *vere* justi, & legitimi occurrant; ut inde justum captare lucrum possit. *Inquirat prius diligenter oportet, vere ne cum mutuo alius justus titulus* (puta damnum emergens, grave periculum juris) *vere ne justus alter a mutuo contractus* (v. g. veræ, & non fictæ Societatis) *occurrat. quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.*

§. II.

Opiniones Caſuiſtarum, quæ primo proſcribendo ERRORI *de Titulis ſemper cum mutuo occurrentibus, cauſam dederunt.*

I. Quemadmodum cum monſtruoſas Caſuiſtarum opiniones in medium afferimus, continuo clamant illorum defenſores, truncatos, adulteratoſque Textus productos eſſe (quam atrociſſimam calumniam toties rejecimus, illoſque provocamus, ut vel unicum dolo malo obtruncatum deſignent); ita, dum proſcriptas aliquas a Sede Apoſtolica opiniones nobis manifeſtantibus, negant ab aliquo Theologo illas tradi, atque defendi, Religioni ſibi minime vertunt, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſupremum Tribunal deridendum hæreticis exhibere; quaſi illud aerem verberet, fingatque ſibi hoſtes, quos feriat, dum Apoſtolicas Conſtitutiones emittit, quibus falſas doctrinas damnat. Sic illi ſuorum Caſuiſtarum famam in tuto collocare poſſe putant. Porro ne ſimilia obtrudere nobis nunc jure valeant; opiniones, ſeu errores in reſcripto PontificioTextu proſcriptos, tranſcribere propriis Authorum verbis operæ pretium exiſtimavi.

II. Et primum, Liber ſupplex, quem novem Archiepiſcopi, & Epiſcopi Hiſpaniarum obtulerunt Summo Pontifici Clementi XI. anno 1717., quemque piæ memoriæ Cardinalis Belluga præſentavit Innocentio XIII., & tandem obtulit feliciter regnanti Pontifici Summo BENEDICTO XIV., continet CCCXXXIII. propoſitiones damnandas, quas inter hæc eſt *num.* 158. *Etiam deficiente titulo lucri ceſſantis, & damni emergentis, pignoribus adhuc pro ſecuritate capitalis acceptis, poteſt exigi lucrum, etſi ad 7. pro* 100. *accedat, ex ſolo titulo periculi, & difficultatis* (*quæ* SEMPER ACCIDIT) *ſortem recuperandi.*

R. P. Martinus Torrecilla in propoſ. damn. tract. 5. conſ. 3. pag. 277. hæc addit ex lingua Hiſpanica verſa: *Si dixeris te non habere* SEMPER *dictos titulos, reſponderi poteſt, quod quamvis non habeas ſemper titulos lucri ceſſantis, & damni emergentis, habeas* SEMPER *pericula recuperandæ ſortis, juxta Silveſtrum verb. negot. q. 4. Nullus poteſt eſſe ita ſecurus, quin poſſit aliquod intervenire periculum, vel ſaltem aliqua difficultas, vel labor in re habenda.*

III. P. Thomas Tamburinus plures titulos ſemper occurrere innuit, & de more valde lepide opiniunculas ſuas exhibet. Quod de periculo ſcripſit, ſupra retuli. Inquit enim, quod juſtus titulus lucran-

lucrandi sit *angor*, *& molestia*, *quæ mutuans passurus est*, *toto v. g. anno*, *propter timorem amittendi sortem*, *quæque subire ipse non obligatur sine pretio*. *At hæc jam in pusillo adsunt*, *ergo &c. lib.* 3. *in Decal. tract.* 3. *cap.* 8. *q.* 4. *num.* 1. In avaris hominibus *semper* hæc adesse, res evidens est. Semper ergo illis adest justus lucrandi titulus una cum cum mutuo.

IV. Alium titulum assignat idem P. Tamburinus *loc. cit.* §. 3. *n.* 11. ubi describit conditiones lucri cessantis, & has proponit quæstiuncu-las. *Quid si hanc* (pecuniam) *destinasti negotiationi*, *& aliam otiosam habes domi? Respondeo tunc potes exigere lucrum cessans*. Sic Arag.... Valent..... *quia de facto hæc fructificatura erat*, *non alia*. *Quid*, *si ita dispositus sis? Vellem* (*& utique possem*) *meam pecuniam negotiari*, *nisi essent*, *qui mutuum peterent*, *seu*, *quod in idem recidit*: *Nolo applicare*, *quamvis utique possem*, *hanc pecuniam ad negotiationem*, *quia volo mutuari illam* FORTE *petituris*. *Resp. quamvis per hanc conditionatam voluntatem non videatur pecunia designata negotiis*, *sed destinanda*, *unde videatur tunc non posse accipi lucrum supra sortem*: *tamen adhuc posse* DOCEO *cum* Lessio, & Maldero apud de Lugo, *quando lucrum fuisset de proximo*, *& non solum remote habendum*. *Id addo*, *quia remota lucra non ponuntur in consideratione*. *Vide Bossium*.... *Licet non negem esse periculum palliandi usuram*. *Ratio autem quod tunc possis*, *est*, *quia vere tibi cessat lucrum*, *ratione mutui*.

V. Quam sit hec doctrina falsa, laxa, & usurarum fœcunda, nemo non videt. Agnoscit ipse Tamburinus usuræ periculum. *Licet non negem*, inquit, *esse periculum palliandi usuram*. Periculum agnoscis? Et evitandum non indicas, non suades, non jubes? Hæccine doctrina evangelica? Error gravissimus hujus doctrinæ est, quod Christianus animum habeat relinquendi negotiationem, cur? Ut cum lucro mutuetur forte petituris. Animus ipse apertissime hic fœneratitius est. At videamus quid de Lugo, & Lessius citati doceant.

VI. P. Leonardus Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 11. *num.* 90. tres modos, quibus esse destinata negotiationi pecunia potest, enumerat, & tertium sic proponit: *Tertius modus est. Si pecuniam destinarim negotiationi*, *non absolute*, *sed dumtaxat sub conditione*; *ut si dicam*: *Vellem negotiari*, *nisi multi mutuum peterent*, *de quo modo est difficultas*. *Quidam enim doctissimi Viri putant*, *etiam tunc posse aliquid exigi ratione lucri cessantis*.

VII. Quinque rationes in hujus opinionis confirmationem fuse explicat. Post sic concludit. *num.* 95.: *Ob has rationes hæc sen-*

tentia mihi olim visa est Probabilis; & etiam nunc videtur, præsertim speculative considerata, modo illa non exigat amplius, quam spes illa lucri, detracta laborum, & expensarum æstimatione, valebat; & semper retineat animum negotiandi illa pecunia, si mutuum non peteretur: in praxi tamen ob periculum palliandi usuras, non est facile admittenda: post factum tamen non ausim cogere ad restitutionem. Hæc sunt moralis Casuisticæ principia. Laxæ opiniones primum prodeunt probabilitate speculativa indutæ, timidæ, & pavidæ: post, excusso timore, & posita verecundia intrepidæ dominantur, turba vallatæ Authorum. Quare Tamburinus, ut nuper vidimus, idipsum absolute propugnat absque timore, quod fatetur & ipse usurarum periculis obnoxium.

VIII. Cardinalis de Lugo *tom. 2. de just. disp. 25. sect. 6. q. 1. num. 91.* rescribit hunc casum P. Lessii, inquiens: *Lessius num. 88. & sequentibus, hunc casum dividit in alios duos. Primus est &c.* Relatis duobus casibus *num. 92.* subdit: *Claritatis gratia possumus primum casum in alios duos subdividere.* Post descriptos casus, ut evincat tum in primo, tum in secundo reperiri titulum lucri cessantis, hanc doctrinam, sane præter modum mirificam, exhibet *num. 93.*

IX. *Unde ad rationem dubitandi dicere possumus, etiam tunc mutuum esse causam lucri cessantis, quod dupliciter explicari potest.*

PRIMO *in genere causæ finalis: ideo enim a negotiatione, & lucro præsenti cessas, ut postea possis mihi mutuare: nec videtur requiri, quod mutuum sit causa efficiens, & antecedens* PRIORITATE REALI *cessationem lucri; sed videtur sufficere, quod in genere causæ finalis sit causa cessandi a lucro; sicut etiam* NOSTRA SALUS, ET JUSTIFICATIO *dicitur Passionis Christi, quia fuit finis, propter quem Christus mortuus est, nec minus gratus esse debeo ei, qui damnum patitur, ut me liberet, quam si, me petente, ut patiatur, licet in primo casu mea liberatio sit causa finalis, & in secundo meæ preces sint causa moralis efficiens.*

X. Non alio fine hanc doctrinam rescripsi, nisi ut semper magis eluceat, quam fœcunda, quam inexhausta rerum mirabilium sit Casuistica fodina. Cæterum si audire velis quid super casu proposito sentiat De Lugo, audi, quæ subdit ibidem *num. 94. His suppositis, circa utramque partem prioris casus dicendum videtur consequenter in posteriori etiam posse exigi lucrum cessans, quando nullus in particulari prævidetur mutuum petiturus, sed aliqui in communi, in quorum gratiam pecuniam a negotiatione subtraxisti, prout absolute, &*

sine

ſine ſcrupulo concedit Malderus .... Ratio ex dictis colligi poteſt, quia inter hunc ſecundum caſum, & primum ea ſola differentia eſſe videtur, quod in primo ego in particulari prævisus fuerim mutuum petiturus: in ſecundo autem non ſum ego prævisus in particulari, ſed aliqui in confuſo, & indeterminate. Hoc autem ad propoſitum parum videtur referre .... Quod explicari poteſt exemplo ſupra adducto PASSIONIS CHRISTI: *licet enim Chriſtus ante voluntatem patiendi non prævideriſ determinate peccatum futurum hujus hominis, ſed aliquos homines mortaliter peccaturos, ad quorum juſtificationem voluit ſanguinis pretium perſolvere, adhuc vere dicitur, peccatum hujus hominis fuiſſe cauſa, ut pateretur. Ratio autem eſt, quia ſub illa diſtinctione cognoſcuntur omnia futura disjunctim, & ita volendo mori pro his liberandis, qui peccaturi erant, voluit mori pro hoc, ſi hic de facto peccat. Si ergo vis reſervare pecuniam pro illo, qui petiturus eſt, qvicunque ille ſit, prævidens aliquem petiturum; pro illo voluiſti de facto reſervare quamvis indeterminate cognito.*

XI. Lege ipſum, in quo plura invenies ſpongia digna. Nolui reſcribere caſus, ut prolixitatem vitarem, quod ideo dico, ne calumnientur Probabiliſtæ minus ſincere adductum eſſe textum, quem, ut dixi, reſcripſi, ut mirificam illam paritatem *Paſſionis* JESU CHRISTI patefacerem: tum etiam ut innoteſceret, opinionem approbatam a P. Leſſio ſolum *probabilitate ſpeculativa*, & cum aliquo pavore, a PP. Tamburino, & De Lugo adoptatam, & evulgatam eſſe abſque omni ſcrupulo. De hoc etiam te admonere intereſt, Cardinalem de Lugo Theologum utique in Scholaſticis contentionibus acutum, in Chriſtiana morali valde laxiores opiniones paſſim docere. Quod ideo dico, ne aut Purpuræ ſplendor, aut voluminum multitudo tibi quoque, non ſecus ac imperitis multis uſuvenit, fucum faciat. Improperabunt, inclamabunt adverſus me Probabiſtarum aliqui. At nihil facimus clamores iſtos, cum unice nobis cordi ſit ab errandi periculo fideles ſubducere. In quamcunque partem adverſarii hæc interpretaturi ſint, perinde nobis eſt. Cæterum modeſtiam noſtram commendare jure deberent, quod plura ſilentio premimus, juſtiſque animadverſionibus deſtitutam relinquimus prodigioſam illam ſimilitudinem PASSIONIS JESU CHRISTI, & ſalutis æternæ humani generis, cum avaritiæ, & uſurarum fraudibus. Hæc ſola referunt Moralis probabiliſticæ imaginem.

XII. Alium P. Leſſius titulum lucrandi aſſignat, qui eſt ipſi mutuo intimus, &, ut in hac Epiſtola Pontificia dicitur, *innatus*, & *intrinſecus*; Quinam hic? *Carentia pecuniæ*. Quid magis mu-

tuo

tuo *innatum*, quam pecuniæ privatio, ſi illius conſiſtere natura nequit ſine pecuniæ privatione? Quam opinionem probare nititur pluribus rationibus. Unam reſcribo. Inquit ergo *lib.2.cap.20. dub.14. n.123. Tertio probatur hæc ſententia. quia ſicut aliis rebus, & oneribus poteſt aliquod pretium imponi: ita etiam oneri carendi ſua pecunia tanto vel tanto tempore. Cum enim pecunia ſit inſtrumentum negotiandi, & privare ſe inſtrumento ſuæ artis ſit pecunia* (pretio) *æſtimabile: cur non etiam mercatores poterunt carentiæ pecuniæ pretium aliquod communi conſenſu imponere, præſertim ſi ratio boni communis id poſtulet*. Poſt multa concludit: *Hæ rationes videri poſſint alicui probabiles, potiſſimum tertia; & juxta eas conſuetudo Burſæ Antuerpienſis excuſabilis*. Subdit tamen *num.27. Nihilominus ſentio non eſſe tam laxas habenas Mercatoribus dandas, nec illis concedendum, ut quidquam ſupra ſortem exigant, ſi illis ex carentia pecuniæ nullum lucrum ceſſat, nullum periculum impendit, nullum incommodum metuitur. Primo quia ſententia illa videtur nova, nec illam apud Authores reperio: ac proinde in re morali tanti momenti*, NON FACILE ADMITTENDA.

XIII. En confirmatam Caſuiſticæ propagationis originem. Novæ invehuntur laxæ opiniones. Ratiunculæ, & ſophiſmata excogitantur ad eaſdem confirmandas. Ut quoquomodo ſibi Authores caveant, aliqua adjicitur exceptio. Laxam, & novam judicat P. Leſſius hanc opinionem. Quid inde? Improbanda? Abſit. *Non eſt facile admittenda*. Temporis beneficio *novitatem* exuit. Turbam Caſuiſtarum nanciſcitur, & tum *facile* immo *facillime* admittenda erit. Quid deridendas, inquies, præbes Theologorum opiniones? Ut animas Chriſti ſanguine redemptas a damnatione, quoad valeo, præſervem. Opinio hæc, quam refert P. Leſſius reipſa damnata fuit ab Innocentio XI. *num.41. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numerauda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari*. Opinionem omnino ſimilem damnaverat prius Alexander VII. *num.42.*, quam P. Dominicus Viva attribuit Dianæ, Medinæ, Serræ, Baſſæo, aliiſque, & hæc adjicit *num. 3. Communiſſima tamen opinio negat cum Leſſio lib. 2. cap. 20. dub. 14. Lugo diſp. 25. ſect. 3.* Leſſius hoc ipſo loco citato a P. Viva teſtatur hanc opinionem damnatam eſſe novam, & a ſe inventam, & non eſſe *facile* admittendam. Quare narratio P. Viva non videtur ſincera, & poteſt eſſe errandi occaſio, cum dicat ſententiam P. Leſſii eſſe communiſſimam. Sed hæc obiter. Familiaria quippe iſta ſunt Patri Viva.

XIV. Tex-

XIV. Textus reſcripſi Authorum, qui e vivis deceſſerunt. Nunc aliquos exſcribam eorum, qui adhuc in vivis ſunt. Ut autem & invidiam devitem, & obſequii, modeſtiæque in eos teſtimonia perhibeam, lubens ab iis nominandis abſtinebo.

XV. Unus ex Italis Scriptoribus hæc ſcripſit. *Che poi ſia facile il trovare la probabilità del lucro ceſſante in* OGNI CASO, *che ſi voglia farſene argomento, lo moſtreremo nella quarta oſſervazione*. Hæc verba: *In omni caſu*, idem valent, ac *ſemper*.

XVI. Subdit loco a ſe citato. *Se ſi aveſſe avuto un millione* SEMPRE *ſi può dire, che era probabile l'impiegarlo con guadagno: ne mai veramente il danajo è ozioſo per gli Uomini di giudizio*.

XVII. Italus Interpres *Broederſen* hæc docet *lib.* 3. Dell'impiego del danaro, *cap.*3. *pag.* 255. *Ma il fatto ſta, che ne' contratti all'una, e all' altra parte giovevoli, de' quali ſi tratta, non uno, ma più titoli, e tutti giuſti, concorrono* SEMPRE: *il che facilmente ſi può dimoſtrare*.

XVIII. Subdit: *Chi ha ſomme da inveſtire, e'* SEMPRE *un mercante in fiera*. Erronea doctrina affingitur S. Antonino. *Chi mai dirà che la privazione non ſia un danno? Chi dirà che ſia il medeſimo ſe io tengo in borſa buone ſomme, o ſe non tengo?* Doctrina falſa impingitur ibi S. Thomæ. *Non è dunque* MAI *ſenza diſcapito, quando ſi dà fuori di mano il ſecondo ſangue*.

XIX. *Ecco però* (proſiegue alla pag. 263.) *che ſe altri ſe ne priva per dare ad uſo d' altri il danaro, nol può fare ſenza danno, e però ſenz' acquiſtar giuſto titolo di compenſo..... Diranno, che dunque non ci ſarà più uſura. Al che taluno riſponderebbe, che ſecondo i principj loro.... queſto grande inconveniente temer potrebbeſi; poiche del ſolo titolo comunemente ſi piglia cura, e ſenza eſſo prender uno, e prender dieci ſi fa ugualmente mortal peccato: e con eſſo tutto crede qualcuno, che vada bene: ma non già per la noſtra, ſecondo la quale il titolo è il* MENO, *che per aſſicurare la conſcienza ricerchiſi*.

XX. Plurimos alios textus omitto brevitatis gratia. Ex his, quos adduxi, colligere facile quiſque poteſt, noviſſimos uſurarum patronos, modo a Calvino, a Molinæo, cæteriſque eorum aſſeclis: Modo a laxioribus quibuſdam Caſuiſtis argumenta mutuari, ut una, aut altera via moderatas uſuras defendere valeant.

§. III.

CONSECTARIUM,

In quo concluditur BENEDICTUM XIV. *prudentissime, & gravi necessitate urgente damnasse recensitos* ERRORES.

Evidenter ex iis, quæ dicta sunt, demonstratum remanet, ERRORES pernicioſissimos, proscriptos a Summo Pontifice BENEDICTO XIV., passim reperiri in pluribus Moralistarum libris: videlicet *reperiri semper, ac præsto ubique esse una cum mutuo titulos alios legitimos, quorum præsidio quotiescunque pecunia alicuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque recipere*. Tituli, quos descripsimus, sunt periculum recuperandæ sortis, mutuo intimum: Alter titulus lucri cessantis, vel damni emergentis; qui titulus aut in genere *causæ efficientis*, aut in genere *causæ finalis*, inquit acutissimus Cardinalis de Lugo, semper adest, dummodo negotiari velis, idest lucrari. Privatio tandem pecuniæ mutuo innata est; adeoque semper cum mutuo occurrit. ERRORES istos Pontifex Sanctissimus improbat, utpote divinis literis, Ecclesiæ judicio, & communi sensui repugnantes. Colliges hinc quam prudenter, & quanta necessitate urgente, Sapientissimus Pontifex proscripserit recensitos errores, qui sub pallio probabilitatis usuræ virus quaquaversum effundebant.

§. IV.

Variæ Contractuum formulæ, quæ causam dedere alteri gravissimo ERRORI *proscribendo; videlicet mutuum semper comitari contractus aliquos, quorum præsidio lucrum justum evadit.*

I. Præter titulos mutui intimos, contractus quoque a mutui natura ficte, non vere distinctos, qui mutuum semper comitantur, excogitarunt Recentiores, quos ingeniosos Theologos, vocat P. Thomas Tamburinus *lib.*9. *tract.*8. *c.*5. §.2. Hi autem sunt, census personalis utrinque redimibilis, contractus innominati, & impliciti, qui sola pia, bonaque intentione lucrandi omni modo meliori, quo potest, peraguntur. Ipsorum contractuum præsidio, ut ipsi dicunt, lucrum moderatum, perceptum ex mutuo honestum evadit. Ut tota controversia pleno in lumine constituatur, ipsi contractus rescribendi sunt.

Con-

Contractus forma, qui controverſiæ cauſam dedit.

„ *Paulus* notabilem pecuniæ ſummam tradit *Sempronio*, non „ quia eget, ſed quod rem ſuam familiarem augere cupiens, pecu- „ niam præfatam vel quæſtuoſis negotiis, vel prædiis, domibuſve „ emendis, aut cuilibet alii, qui ſibi placuerit, uſui, unde pro- „ ventus colligere valeat, impenſurus ſit, eo pacto, ut ſalva ſem- „ per ſorte, *Sempronius* ſolvat *Paulo* annuum moderatum lucrum, „ donec ſortem præſtituto inter utroſque tempore reſtituat.

II. Iſtius contractus formæ quamdam mentionem primus fere omnium MAJOR fecit, ut fuſius alio in Opere dicetur. Conradus illum propoſuit Cardinali Cajetano, qui eundem uſuræ damnavit, ut teſtatur P. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 25. *dubit.* 3. *num.* 22. his verbis:

„ Cajetanus *tom.* 1. *opuſc. ult. Reſponſione undecima*, putat „ formam hanc contractus, quam ei propoſuerat Conradus, eſſe il- „ licitam: *Petrus conſignat centum florenos apud Paulum mercato- „ rem, ut ei pro parte lucri, capitali ſalvo, aſſignet per annum „ quinque florenos, reſiduo lucri ſibi reſervato.*

Altera contractus forma, quam Leſſius *ipſe proponit num.* 30.

„ Ego infraſcriptus confiteor hoc meo chirographo, me acce- „ piſſe a Titio mille aureos, ut eos impendam legitimæ negotiatio- „ ni, & loco incerti lucri majoris, quod illi ex hac negotiatione „ poſſet competere, promitto, me illi daturum 6. & $\frac{1}{4}$. in centum „ quotannis, & ejuſdem ſummæ periculum præſtiturum.

Duæ aliæ contractus formæ, quas exhibet P. Joſeph Gibalínus.

„ Pro ſumma trium millium ducentarum librarum, quam pro- „ mitto ſolvere Sempronio proximo ſolutionum termino, pro valo- „ re a me accepto ad meam ſatisfactionem. Datum Lugduni Kalen- „ dis Januarii &c.

Alia forma.

„ Promitto me ſoluturum intra annum a die præſenti mille ſexa- „ ginta libras Sempronio pro valore æquali a me recepto. Da- „ tum Lugduni &c.

III. Ejuſmodi ſunt formulæ contractus a pluribus catholicæ Religionis Theologis propoſitæ. Ut apud iſtos Authores videbis, omnes iſtæ formulæ mutuum purum putumque præferunt. Verum in eiſdem formulis contractum aliquem licitum includi contendunt citati Theologi, ut mox explicabo.

§. V.

Formula contractus, quam præbet Nicolaus Broederſen, inepta eſt, plenaque vitiis, & dolis.

I. Nicolaus *Broederſen lib.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. varias contractuum formulas perhibet. Et primum reſcribit *num.* XLIV. formulam contractus P. Leonardi Leſſii, quam ſupra dedi. *Poſt cap.* 7. *num.* LIX. aliam reſcribit contractus formulam, quam prius typis ediderat in ſuo *Tract. Brevi*; eſtque ejuſmodi.

II. „ Caſus poſitio circa reditus utrimque redimibiles. Petrus ſe „ ipſum, & familiam ſuam ſuſtentat partim opificio. partim reditu „ annuo 150. florenorum. Redimitur reditus ille a Petro, & red- „ duntur illi quinque millia florenorum, quibus reditum illum „ emerat. Petrus ut conſulat neceſſitatibus ſuis, intendit denuo col- „ locare dictam ſummam in emptionem domus, fundi, vel reditus &c. „ Quotidie illam ſic applicandi occaſionem habet. Accedit illum „ Joannes Mercator dives v. g. centum millibus florenorum. Neuti- „ quam eget Joannes iſta ſumma ad neceſſarios vitæ ſuæ uſus, & „ *ſine ullo incommodo poteſt illa carere*, immo ſine illa etiam com- „ modius, quam Petrus vivit. Rogat tamen Joannes, ut Petrus „ dicta ſumma emat ab illo reditum annuum 150. florenorum. *Vult* „ enim Ioannes iſta quinque millia florenorum mercaturæ impende- „ re, ut majora lucra acquirat. Conſentit Petrus, & dictam ſum- „ mam Joanni numerat his conditionibus. Prima, ut Joannes quo- „ tannis ſolvat Petro tria in centum, ſive 150. pro 5000. Secunda, „ ut reditus ille ſit utrinque redimibilis, ea ſcilicet ratione, ut Joan- „ nes poſſit reddere Petro iſtam ſummam, & Petrus poſſit eandem „ a Joannes repetere, modo ſe invicem ante redditionem, aut re- „ petitionem tribus menſibus monuerint, atque ſic utroque caſu „ reditus ille extinguatur. Gratius ob ſolidas rationes eſt Joanni ſic „ ſtipulari, quam ſi hypotheca legitime conſtituta ad ſummæ reſti- „ tutionem non poſſet conſtringi. Abeſt ab illo contractu omnis „ fraus, & oppreſſio. Suprema poteſtas ſæcularis hujus Patriæ exi-

„ ſtimat

„ ſtimat tales reditus a Deo non eſſe prohibitos, judicat que eoſdem
„ ſuæ Reipublicæ, & ſuis ſubditis utiles, ut commodius mercaturas
„ exerceant, immo ægre ferret tales reditus hic impugnari. Omnia
„ Conſilia eoſdem approbant, & pro iis jus dicunt, & debitores ſol-
„ vere coguntur.

„ Quæritur, an hic caſus, illique ſimiles, ſepoſitis ſemper omni
„ fraude, & oppreſſione, ſint nobis Chriſtianis a Deo in ſacris literis
„ per leges circa uſuram latas prohibiti.

III. Caſus iſtius propoſitio aut doctrinam continet Calvinianam, aut perperam obtruditur. Si enim contendit *Broederſen*, lucrum perceptum ex pecunia mutuo tradita mercatori diviti eſſe quidem uſuram, ſed non a Deo vetitam, hæretica doctrina eſt. Si contendit damnum Petro ex mutuo contingere, id quod ultra ſortem percipiet, compenſatio erit. Quid obtrudit Petrum opificem eſſe, partimque 150. florenorum reditu, & partim opificio, ſe ſuamque familiam alere? Quid, ſi neque opificium exerceat, opulentoque patrimonio abundet? Illicitum ne tum erit *illi* lucrum? Cur in Petro voluntatem ponit pecuniam ſuam impendendi aut fundis, aut domibus, aut perpetuis reditibus emendis? Cur aſſerit occaſiones id peragendi adeſſe. Quid, ſi & voluntas, & opportunitas defuerit? Fame ne tunc perire Petrus debebit, cum unica illi via ſit familiæ ſuſtentandæ 150. florenorum proventus? Cur Joannem mercatorem effingit? Quid ſi *Communitas*, *ſi Civitas &c.*, ſi Presbyter, ſi vidua, ſi Monaſterium? Fœnebre ne tunc lucrum erit Religioſo *Broederſen*? Cur mercatorem adeo divitem in ſcenam inducit? Quid, ſi mercator ſit, qui pecuniæ ſummam accipiat ad mediocrem, & prope inopem officinam ſuam ſuſtentandam, inſtaurandam, augendamque? Fœneratitium ne tum lucrum habebitur? Aſſerit Joannem Mercatorem *ſine ullo incommodo* carere poſſe pecunia, quam mutuam ſuſcipit. Quid ſi ditiſſimus nobilis ſit, qui fundis, & reditibus abundet, tamen pecunia careat, gravibuſque incommodis obnoxius eſſet, niſi pecuniam illam mutuo acciperet? Legationem enim obire, filiam in matrimonium collocare, aliudve grave ſuæ familiæ damnum reparere debet: Fœnebre ne tum mutuum erit?

IV. Quis nunc inficias ire poteſt, deſcriptam contractus formam, vanam, ineptamque eſſe? Quemadmodum Nicolaus *Broederſen* Schiſmaticæ Eccleſiæ Ultrajectinæ pſeudo canonicus in cæteris dogmatis duplicem perſonam ſuſtinet Janſeniſtæ, & Catholici; ita in hac controverſia duplicem induit figuram. In univerſo opere doctrinam Calvini, Molinæi, & Salmaſii acriter propugnat. Similiter cum laxio-

ribus quibuſdam Catholicæ Religionis Caſuiſtis inito fœdere, quidquid laxius iſti docuere, amplectitur. Formam præfatam obtrudit, ut trinum contractum, aut cenſum perſonalem ſe defendere innuat. At fucum facit vafer homo. Univerſa quippe principia, quæ dogma adverſus uſuram conſtituunt, penitus evertit, ut indicatum ſupra eſt, & dicetur alibi.

V. Animadvertit tamen idem *Broederſen loc. cit. cap. 6. num.* 51. nihil ad præſentem controverſiam referre formularum diverſitatem his verbis: *Quantum ad propoſitum noſtrum attinet, exigui eſt momenti, quibus contractuum formulis in propoſito caſu utantur. In eo enim diſceptationis cardo vertitur, num memorata ſæpius pecuniæ expoſitio licita, vel illicita ſit.* Repetit num. 55. *Poteſt idem fieri per formulam locationis*; v. g. *ille, qui alteri certam pecuniæ ſummam utendam in mercatura, aut emptione agrorum, domuum &c. tradit, ſibi pro uſu illius quotannis* v. g. *tria in centum ſolvenda eſſe ſtipulatur.* Iterum. num. 56. ſubdit. *Nihil obſtat, quominus eadem res perficiatur per formulam contractus innominati. Do, & facio, ut des, & facias. Nimirum ſi tu velis mea pecunia negotiari, illam aſſecurare, & obligare te ad ſolvendum quotannis tria in centum, tradam tibi meam pecuniam, & concedam tibi totum lucrum. Hic unicus eſt, & innominatus contractus, quo omnia, quæ utrinque ſunt conferenda, & commutanda involvuntur. Vide Leſſium cit. loc.* Hæc ex Caſuiſtis perſtrinxit *Broederſen*. Infixæ ſint menti tuæ hæ contractuum formulæ variæ, ut, quæ dicturus ſum §. VII., facilius aſſequaris.

§. VI.

Manifeſtantur contractus, quos in formulis recenſitis ſupra §. IV. *Theologi Probabiliſtæ contineri propugnant.* Gaſpar Rodericus *cum aliis Juriſconſultis ut hæreticam improbat ſententiam, quæ defendit, uſuras moderatas licitas etiam conſenſu Principum conceſſas.*

I. Ut res evidentius pateat, præ oculis habeas oportet documentum num 3. EPISTOLÆ Pontificiæ; videlicet, poſſe quandoque mutuo extrinſecus advenire vel titulos veros, aut damni emergentis, aut periculi juris, vel etiam poſſe ſæpe pecuniam per contractus a mutui natura diſtinctos collocari aut ad proventus emendos, aut ad licitam mercaturam. Hæc certa ſunt, neque in controverſiam veniunt.

II. Ser-

II. Sermo ergo nunc est de iis Theologis, nempe Molina, Lessio, Lugo, Tamburino, Gibalino, Bonacina, aliisque, qui in recitatis formulis, absolute spectatis, contineri contractus *intrinsecos implicitos* asserunt; vi quorum lucrum licitum defendunt. Formulæ illæ, juxta obvium sensum, utique præferunt contractum mutui: at ingenioſi Theologi (sic enim eos Tamburinus vocat) vident in hac mutui forma veluti in fœcundissimo latifundio contineri plurimos contractus, vi quorum, & non vi mutui, lucrum ab usuræ labe purgetur. Nec ad hos ineundos contractus aliud, nisi bona, & pia intentio requiritur in contrahentibus, qua velint lucrari omni meliori modo juxta doctos Juniores. Quæ dico, & dicturus sum, verbis ipsorum Theologorum probabo. Audias nunc velim arcanum probabilisticum in prima contractus forma occlusum.

III. *Paulus* noster, inquiunt, quatenus pecuniam a *Sempronio* acceptam in commercium distrahit, Mercatoris personam exercet, & cum *Paulo* famigeratum illum contractum trinum init. Si autem *Sempronius*, accepta pecunia, fundos emat, domosve, divitis personam gerit, *censumque realem* cum *Paulo* animo contrahit. Si Sempronius noster artifex, opifexve fuerit, & pecuniam arti suæ promovendæ applicet, *censum personalem* cum *Paulo* stipulari præsumitur. Si *Sempronius* Pater familias sit, pecuniaque opus habeat, vel ut filiabus nubendis, Deove sacrandis provideat, vel ut legationem, aliamve dignitatem sustineat, aut ut ingentem pecuniæ jacturam in ludo factam, vel alia debita solvat, tum vi contractus innominati moderatum proventum solvet. Tandem ad majorem conscientiæ tranquillitatem præter hos contractus semper mutuo insunt tituli, quos ex Tamburino, Lessio, & Lugo recensuimus: potissimum molestia, angor amarus, quo Paulus afficitur, ob amatæ pecuniæ privationem. Si comœdiæ, & pulchri spectaculi, aut feræ silvestris visio prætio æstimabilis est; quo in pretio habenda erit fulgida illa, & resplendens aureorum, argenteorumque nummorum contemplatio?

IV. Quid, si *Sempronius* noster simplex adeo sit, & bonus vir, ut istos contractus trinos, census, alioſque titulos ignoret omnino; Aut nullam expressam voluntatem minime habeat ineundi aliquem ex recensitis contractibus? Hac in hypothesi sat est Sempronio nostro, ut lucrari de suo velit *omni meliori modo*, & in eo sensu, quo docti, & ingenioſi Juniores lucrari licite posse defendunt. Quemadmodum dum ille obvias non habet amphilogias, & æquivocas restrictiones, quas repererunt novi Theologi, sufficit, ut licite juret, non esse verum,

rum, quod cognoſcit eſſe verum, juxta aliquem modum excogitatum a *Doctis*.

V. Poſtremum, inquiunt, tametſi lege naturali, & divina vetita uſura ſit, non tamen abſolutę, ſed *conditionate*, inquit P. Pichler, dependenter videlicet a Principum conſenſu, & a Patriæ conſuetudine; quare, dum aut Civitatum, aut Patriæ conſuetudines, aut Principum leges, uſuras, quæ charitatem non lædunt, approbant, licitæ illæ ſunt, omnibus titulis explicitis ſublatis. In conſpectu enim aut Patriæ conſuetudinis, aut legis Principum lex naturalis & divina, utpote conditionata, in fumum occidit.

VI. Verum enim vero quoniam de Principum legibus, uſuras olim quandoque permittentibus, mentio incidit; opportunum duco huc adferre pauca eorum, quæ docent vel ipſi Cauſarum Patroni, & Juriſconſulti. Dictum ſupra eſt Theologos Catholicos unanimi conſenſu hæreſeos damnare opinionem, propugnantem uſuras moderatas licitas eſſe. Quam graviſſimam cenſuram ægre fert Interpres Italus in ſuo Compendio Operis *Broederſiani*, poſito ad calcem ſui Operis: *Dell' impiego del danaro*. Verum ne in poſterum injuſtitiæ, aut rigoris cenſuram hanc accuſare auſit, ob illius, omniumque oculos pono, quæ hac de re ſcribit *Gaſpar Rodericus* celebris Juriſconſultus Hiſpanus in ſuo Tractatu de annuis, & menſtruis reditibus *lib.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 104. *pag.* 633., ubi inquit. „ Concludamus ergo leges „ Civiles, & Juſtiniani uſuras *quantumvis moderatas* approbantes, „ improbas eſſe, & naturali, & Divino juri contrarias, nec ullo „ modo in Chriſtiana Republica admittendas, quia, ut inquit *Text.* „ *in cap. Non licet, in Diſtinct., Non licet Imperatori, vel cuiquam* „ *pietatem cuſtodienti aliquid contra Divina præſumere mandata,* „ *nec quicquam quod Evangelicis, Propheticis, aut Apoſtolicis Re-* „ *gulis obviet, agere.*

„ Nec dicendum eſt, potuiſſe Juſtinianum uſuras moderare, „ & *Moderatas permittere*, cum Summus PONTIFEX *in cap. Super* „ *eo de uſura*, dicat, etiam *pro bono publico* & captivorum Redem- „ ptione, ſe non poſſe aliquam in exigendis uſuris diſpenſationem „ facere. Pondera verbum *aliquam*, quaſi dicat in nulla quantum- „ cumque moderata quantitate. . . . Unde recte dixit *Baldus* in „ D. Auth. ad hæc; quod etiam in uno nummo non eſt licita „ uſura, & *quod tenens contrarium ſapit* HÆRESIM, & *tan-* „ *quam* HÆRETICUS DAMNATUR „ Laudat Covarruv., Menoch., Villagut., Navar., Alciat. Hæc meditentur novi Theologi, Pichler, Gletle, aliiſque pauci Friburgenes, & Ingolſtadien-

dienſes , & Italus Interpres *Nicolai Broederſen* , qui lib. 3. citati Operis : *Dell' impiego del danaro* alacris , ſibique plaudens *cap.* 4. *pag.* 264. hæc de more ſcribit : *Or chi potrebbe mai credere , che dopo quanto ſi è detto , non ſi ſia però detta ancora la ragione maſſima , per cui giuſto , e irreprenſibile ſembra renderſi il coſtume , di cui ſi tratta ? Conſiſte nel Titolo publico , e deriva dalla podeſtà de' Sovrani , e ſi fonda sù la reverenda autorità delle leggi* . En rationem maximam , hactenus indictam . Sed hæreſim , non rationem appellant illam *Baldus* , *Rodericus* , *Alciatus* , *Covarruvias* , aliique Juriſconſulti. Animadvertit , ſe non de legibus antiquis Romanorum ; ſed de novis ſermonem habere ; de illis nempe , quæ moderatam lucri fœnebris quantitatem præfiniunt *Quali foſſero* (inquit pag. 265.) *le rette quantità , e in qual miſura foſſero permeſſi i frutti , s' incominciò nel principio del Secolo ſeſto decimo a dichiarare* . Conſtantinus , Juſtinianus , Leo Sapiens , cæterique Principes permittentes uſuras , non moderatas , ſed mordentes & ſtatum atque Rempublicam devorantes concedebant ? Ante ſæculum XVI. omnes Principes & Communitates , in quas excommunicationis ſententiam tulit Concilium Viennenſe , niſi Conſtitutiones uſuras permittentes abolerent , uſuras opprimentes exigi conſentiebant ? Priſcarum rerum periti hæc aſſerunt ? Laudat Author iſte in rationis maximæ a ſe inventæ præſidium Babenſtuber , & Pichler , quorum paradoxa ſingulari Diſſertatione labefactabo . Interim recogitet , jam a tempore *Baldi* hæreſeos damnatam eſſe opinionem , quæ aſſerebat uſuram moderatam, etiam minimam, etiam uno *nummo* conſtantem, licitam eſſe.

VII. Quæ hactenus recenſui , alio in Opere , adductis luculentiſſimis Authorum textibus confirmabo , & pro virili refellam . Nunc animadvertere ſufficiat , poſita ea Thelogorum doctrina , nullam in mundo uſuram eſſe .

§. VII.

Denuo confirmatur, Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. *prudenter præteriisse recensitos contractus, qui excitatæ controversiæ causam dedere. Quam inexcusabiles ii sunt, qui lamentantur, Romanam Sedem nullum fere judicium in hunc, illumve contractum. Nisi Christiani Evangelicæ Doctrinæ spiritu instructi sint, nulla nova Constitutio, aut Decretalis sufficit ad retundendos cupiditatis cavillos. Si Evangelicæ Doctrinæ amore ac zelo ducamur, satis contra usuram provisum est.*

I. Quanquam *Dissert.* 1. *cap.* 3. demonstravi provide, sapienterque Pontificem Summum præteriisse contractus, qui controversandi causam dedere: nihilo secius lubet iterum eandem veritatem, novis adductis rationibus confirmare. Contractuum, quos duobus superioribus §§.exscripsi, sola repræsentatio, validissimo, atque ineluctabili argumento est, non modo Pontificem Summum prudenter, sed necessario debuisse contractus istos dissimulare; Quandoquidem ultra ea, quæ loco citato scripsi, quamnam ille ex præfatis formulis improbare debebat? Si contractus sub una contentus forma improbatus fuisset, continuo dixissent usurarum Patroni, sub altera expressum forma approbatum remanere. Et hinc nova interminabilis lis, nova dissidia, nova jurgia &c. Theologi ipsi modo sub una, modo sub altera formula contractus proponunt, & ipsi Doctores Lovanienses, ut superius dixi, super contractus *sincera expositione dissidebant*. Nullus dubito, quin omnes ii, qui legerint, quos rescripsi contractus magna verborum circuitione circumseptos, & sagaci diversitate conceptos., mecum dicturi sint, prudentissime Pontificem Maximum præfatos contractus dissimulasse, nullo in eosdem judicio lato. Cæterum quod rem omnem conficit, illud est; nimirum principia firma, clara, luculenta Pontificem Sapientissimum constituisse, quæ evidenti, & necessaria consequutione inferunt, contractus illos sub quacunque forma conceptos, esse usuraria pravitate inquinatos, ut omni argumentorum genere patefaciam.

II. Heinc patet, quam inexcusabiles ii sint, quia similia fantur: Quid refert, inquiunt, Pontificem principia adversus usuram constituere, & regulas a praxi communi sejunctas præscribere? Optima hæc esse quis ibit inficias? At pro fidelium instructione haud sufficiunt

ciunt. Quod noſtra ſummopere intererat ſcire, eſt; num hic contractus ſit, nec ne, fœneratitius? Abundo pecuniis: otioſas illas certe nolo. Quis enim divitum id velit? Poſſem predia, domos, *loca vacabilia*, alioſque redditus emere. Sunt amici, ſunt nobiles, qui ſuarum familiarum negotia univerſo prodere mundo nolint. Petunt non levem, ſed notabilem pecuniæ ſummam. Gratis nullibi invenient. Fœnerator ne ego, ſi cum moderato trium, aut quatuor, proventu annuo, pecunias trado?

III. Hæc ſunt vaferrimæ cupiditatis ratiocinia; hæc avaritiæ ſophiſmata, quæ pluribus alio in Opere refellam. Paucis nunc perſtringam. Ad tuarum ergo appetitionum amuſſim detorquere legem contendis? Tui ſtatus regulas immobiles conſtituis, inquiens: Statui meo expedit, ut hoc, illudve peragam? Quid? Patefaciendum ne eſt, me carere pecunia, qua provideam filiabus, ſuſtineam dignitatem? Manifeſtandum ne, me nullos habere fundos liberos? Me ne decoctorem ſponte prodam? Præjudicium ne ſtatui meo inferam? Hæc, & ſimilia chimærica principia, ambitione, & ſuperbia concepta, præmittunt tanquam immobilia; & ad has ſuas chimæras inflectendam legem Divinam contendunt cupiditatis, avaritiæque amatores. Evangelium audiant. Niſi parati ſint, & paupertatem, & egeſtatem propriam prodere, & ſuſtinere, dum ſic Divinæ Providentiæ ordo diſponit: niſi ſtatum, & dignitatem juxta, & non ultra eorum facultates ſervare, ab eo interdum decidere, ſuaſque etiam dignitates juxta Dei beneplacita dimittere: niſi propria negotia, & familiæ vices ſubjicere Divinæ Legi parati ſint; ac legem inflectere deſinant ad propriæ ambitionis, cupiditatis, & mundanæ nobilitatis præſcriptum: niſi prima illa Evangelicæ legis documenta animis infixa habeant; videlicet, oportere nos poſſidere divitias, dignitates, gradus, tanquam non poſſidentes; uti uxoribus, tanquam non utentes: niſi ob oculos habeant facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quam divitem ſalvum fieri (quod ad exprimendam gravem ſalutis difficultatem dicitur:) Niſi renunciare omnibus, quæ poſſident animo prompti ſint; velintque potius lucro inhiare, & congregandis divitiis, augendiſque gradibus navare operam, pro certo habeant, nullas Conſtitutiones reformandis eorum moribus ſufficere poſſe. Si nihil aliud Romana Sedes faceret, quam Conſtitutiones adverſus contractuum uſuras, aut injuſtitias edere, nihil efficeret. Quo ſiquidem multiplicantur Conſtitutiones, eo multiplicantur cavillationes, effugia, & ſophiſmata, niſi doctrinæ Evangelicæ ſectandæ æternæque ſalutis deſiderium ſincerum animo inſideat.

IV. Quæ enim in hunc finem hactenus non egit Ecclesia ? Concilia Nicænum, Eliberitanum, & alia multa Clericis expresse usuras interdixere, sic illorum temporum conditione ferente. Posteriori ætate clarius explicatæ fuerunt Divinæ Leges, quæ semper omnibus tum Clericis, tum Laicis usuras interdicere. Sed propius ad tempora nostra accedamus. S. Pius V., Sixtus V., Alexander VII., Innocentius XI. damnarunt cambia sicca, deposita apud Mercatorem cum annuo reditu, contractus Mohatræ, & Anticrisis, census personales, societates fictas, & plurima alia cupiditatis artificia. Quid inde ? Quemadmodum evidentissima alia Decalogi mandata, ut quintum, & sextum, ita & septimum transgredi perexerunt mundani homines. Theologi non pauci videntes communiter Christianos, non secus, ac ante editas Pontificias Constitutiones, suos usurarios contractus celebrare, pia intentione salvandi omnes inaudita commenta excogitarunt: & quisque fere pro arbitrio Ecclesiæ documenta interpretatus est. Porro, si Christiani istorum potius interpretamentis stare velint, quam Pontificum Constitutionibus: & Casuistis potius, quam Pastoribus, quos Deus posuit regere Ecclesiam suam, aures dare velint, cupiditatibus suis morem gerent, sed Regnum Dei non consequentur. Provisum abunde est adversus usurarum cavillos. Constitutiones luculentæ sunt, & Deum timentibus, & sinceris Evangelii cultoribus claræ sunt, ac perspicuæ: sed provisum non est, nec providebitur unquam hominum commentis, avaritiæ fraudulentis prætextibus, cupiditatisque omnium malorum radicis cavillis, & machinationibus.

CAPUT

CAPUT VI.

UNIVERSÆ CONTROVERSIÆ STATUS

pleno in lumine collocatur. Capita in hac ſecunda Pontificiæ EPISTOLÆ parte contenta clarius explicantur.

I. NImiæ quæſo prolixitati non vertatur, ſi in re graviſſima pertractanda eadem quandoque & repetere, & inculcare cogor. Quæ itaque in priore Epiſtolæ parte ſtatuta ſunt, in mentem revoco: Uſuram nempe quamlibet peccatum eſſe: in mutuo hanc ſedem dumtaxat, & locum habere. Lucrum ex mutuo fœnebre eſſe, nulla habita perſonarum ratione: Propterea ſive pauperibus, ſive divitibus, ſive mercatoribus, ſive nobilibus, & cujuſque conditionis hominibus pecunia mutuo tradatur: ſive hæc pecunia ab accipiente otioſa teneatur, ſive prodigatur, ſive in commercio, aut prædiorum emptione collocetur, lucrum ex ejuſmodi mutuo perceptum fœneratitium eſt. Idque penes omnes Catholicos inconcuſſum.

II. Ut autem, quæ in ſecunda Epiſtolæ parte continentur, evidentius pateant, ſequentibus §§. explicabo.

§. I.

Scite Pontifex Summus num. III. & v. *ſuæ Epiſtolæ diſtinxit titulos mutuo veluti innatos, & intrinſecos, a titulis* QUANDOQUE *extrinſecus ſupervenientibus: Item contractus a mutuo omnino diverſos: & contractus in eadem pecunia, ſub mutui forma tradita, implicite, ut contenditur, incluſos.*

I. Sub oculos primum omnium recurrat Pontificis Textus *n.* III. *Per hæc autem nequaquam negatur poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt titulos, eoſdem ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos forte concurrere, ex quibus juſta omnino &c.* Quid, inquient eruditionis Caſuiſtæ non ſatis gnari, ſignificant iſti tituli naturæ mutui innati? Significant id, quod docent Caramuel, Diana, Leſſius, Tamburinus, aliique;

quod ſcilicet carentia pecuniæ; quod angor, & moleſtia ſortis amittendæ; quod dulcis contemplatio Auri, argentique ſint tituli pretio æſtimabiles; adeoque juſti lucri exigendi. Iſti tituli, ut vides, ſunt *intrinſeci*, *& innati* ipſi mutuo. Porro iſtos titulos jam damnaverant Alexander VII., & Innocentius XI. Sapientiſſime ergo Pontifex hos titulos diſtinxit ab aliis titulis, quæ QUANDOQUE mutuo ſupervenire poſſunt, ut damnum vere emergens, & lucrum vere ceſſans, vel periculum juris. Qui tituli, *quando vere* extrinſecus adveniunt, juſta ſunt lucrandi cauſa.

II. Sapienter itidem diſtinxit contractus a natura mutui prorſus diverſos. *Neque item negatur poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam per alios diverſos PRORSUS naturæ a mutui natura contractus collocari &c.* Quid neceſſe erat, obtrudent cauſæ ignari, hæc diſtinguere? Sed revocent ſub oculos formulas contractuum, quas §. IV. præcedentis Capitis exhibuimus; & continuo diſtinctionis neceſſitatem comprehendent, & quam prudenter, docteque Pontifex Summus addiderit: *per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus recte collocari, & impendi*. Contractus ergo, qui ſint legitima lucrandi cauſa, debent eſſe *prorſus* a natura mutui diverſi. Cenſus perſonales utrimque redimibiles; contractus impliciti, bonaque intentione parti, habent dumtaxat larvam diſtinctam a mutui natura, apparenteſque, & confictos colores diverſos: cæterum ſunt reipſa mutuum, ut explicabimus.

III. Luculentius hæc omnia declarat Pontifex Sanctiſſimus *num.* V. ſuæ Epiſtolæ: *Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo contractus alios juſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis altericuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem integram, ſalvamque recipere.*

IV. Textus iſte rejicit, damnatque opiniones illas, tum quæ defendunt mutuo inſitos, ſeu innatos titulos lucrandi legitimos ineſſe: tum quæ contractus, ſecluſo mutuo, confictos propugnant; ut ſunt cenſus perſonales, ſocietates fucatæ, contractus innominati: ac denique opiniones illas, quæ docent Patriæ conſuetudines; aut Principum leges tantæ eſſe efficacitatis, quæ valeant uſuras, tametſi lege naturali, divinaque vetitas, honeſtare. Idque aliis verbis confirmat, dum ſubdit, quod *multis in circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, juſtoque contractui locus eſſe*

possit. Si enim vera esset plurium, quos indicavi, Recentiorum sententia, nulla sane circumstantia occurreret, in qua aliquis contractus innominatus allegari non posset, aut titulus quisquam lucrandi non adesset. Commentitium ergo esset adversus usuram Dogma, & inane Pontificiæ Decretalis præceptum.

§. II.

Universæ controversiæ scopus exponitur. Duæ viæ oppositæ defendendi expositos contractus. Altera Calvini, Molinæi, aliorumque Hæreticorum. Altera quorumdam Casuistarum Catholicorum, qui Dogma adversus usuram propugnantes, reipsa omne lucrum moderatum ab usuræ labe depurgant. Ambas defendit Nicolaus Broedersen *cum nonnullis aliis. Utrasque vero improbat* BENEDICTUS XIV. *in hac sua Epistola.*

I. Ut tandem universæ controversiæ scopum paucis exploratum, compertumque habeas, in memoriam revoces oportet, duas esse, & quidem contrarias, defendendi expositos contractus vias: alteram Hæreticorum, alteram quorumdam Casuistarum. Contractus expositi, quos omnium primus indicavit Major, & omnium primus Cardinalis Cajetanus fœneratitios judicavit in Responsione ad Conradum, qui illi hos contractus proposuerat, causa fuere, ut dictum est, exortæ controversiæ. Catholicorum quidam Theologi, qui contra Cardinalem Cajetanum contractus laudatos ab usura immunes esse contendebant, varios commenti sunt titulos, qui bonæ fidei, & communi sensui repugnare ipsis Hæreticis, Calviniistis in primis visi sunt. Ex altera parte isti præ cæteris, e re sua judicarunt esse, horum contractuum justitiam propugnare, cum præ cæteris primas partes in Europæ commercio & mercaturam habeant. Novam ergo illi pro istorum contractuum defensione viam, universis antea Catholicis incognitam, inierunt. Cum viderent ex una parte usuram a Deo prohiberi: ex altera, titulos a quibusdam ad istorum contractuum justitiam defendendam invectos, esse vanos, & chimæricos, duplicem excogitarunt usuram: alteram immoderatam, mordentem, opprimentemque pauperes: alteram moderatam, quæ commercium (ut volunt ipsi) promovet, & proximum adjuvat. Illam, secus istam in scripturis vetari contendunt.

II. Theologi Catholici unanimi consensu ut hæreticam detestati

semper

ſemper ſunt doctrinam Calvini, & Molinæi. Illorum tamen aliqui non modo titulos commentitios, qui Hæreticis ipſis anſam quoquomodo aberrandi dederunt, non correxere, ſed novos potius excogitarunt: eoque res pervenerat, ut uſura pene omnis a mundo exularet. Nam admiſſis cenſibus perſonalibus utrimque redimibilibus, contractibus innominatis, titulis veluti mutuo innatis, ſeu inſitis, conſuetudine Patriæ, Principum poteſtate, qua honeſtari uſura moderata poſſit, ubinam gentium uſura erit, ſive reſpectu divitum, ſive reſpectu omnium pauperum, qui ſolvendo ſint?

III. Nicolaus *Broederſen* utriuſque ſententiæ principia immiſcuit. Quidquid hæretici Molinæus, Salmaſius, Cloppenburgius, Noodt; quidquid Caramuel, Torrecilla, Diana, Tamburinus, cæterique mollioris Theologiæ Patroni commenti ſunt, in ſuo conſarcinavit volumine. Ea propter modo uſuram moderatam non eſſe a Deo vetitam, modo non reperiri in ſuis contractibus uſuram defendit.

IV. BENEDICTUS XIV. Pontifex Summus ſingulari profecto ſapientia utriuſque Sententiæ principia improbavit. Errorem *Dogmaticum*, qui nempe Doctrinæ Catholicæ recta adverſabatur: & errorem *Caſuiſticum*, qui Dogma ipſum, veluti ſuperfluum reddebat, proſcripſit. Nullam peculiarem opinionem exerto digito deſignavit, nullumque authorem: ſed laxarum opinionum omnium principia labefactavit *num.* III. & V., aliiſque in locis tanta prudentia, & ea verborum preciſione, ut errores, ſalvis eorum Authoribus, profligaverit. Duo quippe præſtanda, ſeu duo errorum genera auferenda erant. Alterum Proteſtantium, alterum Caſuiſtarum quorumdam. Si opinionem, ſi contractum quempiam ſingularem confixiſſet, controverſiæ finem minime impoſuiſſet. Idcirco principia utriuſque partis labefactavit, atque Catholicæ Doctrinæ, ſive theoreticæ, ſive practicæ fundamenta ita firmavit, declaravitque, ut, his poſitis, evidenti, & neceſſaria conſecutione plures laxiores opiniones (ut ego quidem arbitror, & ſalvo meliori judicio) proſcriptæ jaceant.

COM-

COMMENTARII IN EPISTOLAM BENEDICTI XIV.

ADVERSUS USURAM

DISSERTATIO III.

CAPUT I.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIFICIS.

„ Secundo loco, qui viribus ſuis, ac ſapientiæ ita confidunt,
„ ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent, (quæ
„ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum
„ ſcientiam requirunt) ab extremis, quæ ſemper vitioſa
„ ſunt, longe ſe abſtineant. Etenim aliqui tanta ſeveritate de
„ iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem, ex pecunia
„ deſumptam accuſent, tanquam illicitam, & cum uſura
„ conjunctam. Contra vero nonnulli indulgentes adeo, re-
„ miſſique ſunt, ut quodcunque emolumentum ab uſuræ
„ turpitudine liberum exiſtiment, *ſuis privatis opinionibus* ne
„ nimis adhereant; ſed priuſquam reſponſum reddant, plu-
„ res ſcriptores examinent, *qui magis inter cæteros prædi-*
„ *cantur*. *Deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum*
„ *auctoritate* PLANE *confirmatas intelligent*.

§. UNICUS.

Extrema rigoris, & laxitatis vitanda. Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. *illas ſeligi ſententias jubet, quæ cum ratione, tum auctoritate* Plane *confirmatæ apparent, rejectis opinionibus minus probabilibus, quæ revera* Plane, *ratione & auctoritate confirmatæ non ſunt. Qui Theologi præferendi.*

I.

PRIMA iſtius textus pars jam ſupra explicata eſt : videlicet devitanda eſſe tum rigoris, tum laxitatis extrema. Extremum rigoris eſſe in hac controverſia, quemlibet inficiari titulum extrinſecus mutuo advenientem, qui ſit juſta lucrandi cauſſa. Calvinus, & communiter Heterodoxi veros, legitimoſque cum fictis confundunt titulos. Negant, deridentque, ceu lepida, & feſtiva commenta, titulos lucri ceſſantis & damni emergentis. Quos titulos, potiſſimum lucri ceſſantis, etiam ſervatis conditionibus, quas pro veritate ejuſmodi tituli præſcribunt graviores Theologi, pernegant Catholicorum nonnulli. Pauci tamen hodie ſunt, inferioriſque ſubſellii. Nam qui reputantur ſeverioris Theologiæ Auctores, ſunt Bonus Merbeſius, Jacobus Gaytte, Natalis Alexander, Franciſcus Genettus, Henricus a Sancto Ignatio, Joannes Pontas, Gabriel Antoine, Paulus a Lugduno, & Beſombes. *Porro in hac de uſura*, & contractibus controverſia, *nullum ſeveritatis extremum, ut* equidem colligere potui, in ipſorum libris offendes. Si quis autem aliquam ex his auctoribus excerptam in hac materia juſto rigidiorem ſententiam perhiberet, pergratam mihi rem faceret, quin & de omnibus evangelicæ doctrinæ ſinceris cultoribus benemereretur.

II. Ut tamen ea, quæ ad pleniorem Caſuiſticæ hiſtoriæ notitiam pertinent, mihique comperta ſunt, ſincere, & candide referam, illud (quod extremum rigoris ſpectat) addam : Cardinalem Cajetanum, & Dominicum Soto doctrinam plus juſto rigidam tradere adverſus uſuram, quam in ipſo proventu reperiri contendebant, qui ad alendos Miniſtros Montium pietatis percipi ſolet. Quin Dominicus Soto *lib. 6. quæſt. 1. art. 6.*, ut ſuam auſteriorem ſententiam propugnet

pugnet, laxius, quam par sit, interpretatur Concilium Lateranense. Quare ibi in geminum impingit rigoris, & laxitatis extremum Theologus iste, alioquin gravissimus, & suo ævo paucis secundus. Nec illius splendori, & famæ quidquam detractum viri prudentes existimant, quod aliqua ejusdem errata pandantur; quandoquidem in ipsis Ecclesiæ Patribus nævi corriguntur, salva reverentia, & obsequio. Semper enim animo hæret meo Magistri Cano dictum: *Propositum est enim veri reperiendi causa, & contra nostros, & pro alienis etiam dicere: & cum res postulat, utrosque, nullius accepta persona, reprehendere. lib.7. cap.3.* Quod adversus eos dictum volo, qui vel cum veritatis dispendio propriæ familiæ decori consulere maxima hallucinatione, atque infeliciter in more habent.

III. Verum si pauci sunt, qui in doctrinæ, æquo rigidioris extremum declinent, immensa est illorum multitudo, quæ in aliud doctrinæ æquo laxioris extremum prolabitur. Rigor enim, utpote qui naturæ repugnat, ideo paucos habet sectatores: lata vero, & spatiosa via, quæ humanis appetitionibus accomodatur; &, Christo Domino teste, multi sunt, qui intrant per eam. Paucorum ego in hoc Commentario Auctorum adduxi opiniones revera laxissimas. Erunt, sat scio, qui mihi succensеant, quod illos pro aliis nominaverim; cui oppositioni jam alias feci satis; videlicet, me frequentius citare in laxitatis patrocinium Dianam, Leandrum, Bonacinam, Caramuelem, Tamburinum, Vivam, La Croix, Castropalaum, de Lugo, quod præcipue hi auctores sunt in illorum omnium manibus, quos ab erroris periculo subducere necesse est: at non propterea a laxitatis nota liberos alios, nempe Zanardum, Serram, La Cruz, Manriquez, ceterosque ejusdem instituti, si qui sunt, affirmo. Quæ hactenus in lucem dedi, satis, superque evincunt, me pro veritate pugnare. Faxit infinita Dei clementia, ut nec falsitatem pro veritate defendam, nec in veritate propugnanda modum, prudentiæque Evangelicæ fines excedam. Si hæc duo obtinuero, nihil morabor hominum nugas, qui ajunt: *Quis te veritatis constituit assertorem? Quis tibi auctor fuit, ut hæc literarum mandares monumentis?* Qui talia exprobrant, Christi sane ignorant Evangelium. At de extremis duobus, laxitatis nimirum, atque rigoris satis dictum esto.

IV. Postquam Pontifex Sanctissimus in sua Decretali Epistola extrema vitanda admonuit, continuo viam, quæ arripienda est, ut extrema declinentur, aperit. Ejusmodi autem est: Propriis opinionibus privatisque cogitationibus nimium non adhærere: quæstiones pro dignitate expendere: non adire Auctorem aliquem, qui pro

utraque contendente parte nonnullos referat, ut probabilitatis beneficio utraque pars se vicisse arbitretur, suisque votis fruatur. Sed plures evolvantur Scriptores, serioque expendantur, ut quod est observatione dignissimum, compertum habeas; utrum scilicet vera moralis Christianæ documenta, videlicet divinarum literarum, Pontificum, Conciliorum, Patrumque testimonia afferant. Qui hæc documenta ad suas firmandas sententias producunt, præferantur ceteris, qui, ut suas opiniones probabilitatis pallio induant, censum Casuistarum texere, & ratiunculas ad arbitrium humanæ mentis excogitatas in medium afferre consueverunt. Recitemus Summi Pontificis verba: „ Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, sed „ priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui „ magis inter ceteros prædicantur. „

V. Quinam sunt, qui magis inter ceteros prædicantur? Num qui typis sæpius recuduntur? Num qui laxiora, rigidioravе consectantur? Ut gravissimi momenti veritatem compertam habeas, spiritum & literam hujusce Decreti, ad hoc quod potissimum attinet, explicemus oportet. Sub oculos itaque revoca, quæ §. proxime præcedenti Pontifex innuit, & confestim quo spiritus, & *litera istius* Decretalis spectant, assequeris. Hæc autem sunt citati §. verba „ Quo- „ circa si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne „ cupiditate, omnium malorum fonte, rapiantur; sed potius ab il- „ lis, *qui doctrinæ, & virtutis gloria* supra cæteros efferuntur, „ consilium exposcant: „ Alia verba quoque perpendenda magnopere sunt, quæ sub initium ejus §. Pontifex Summus adhibet; videlicet, quæstiones hasce, in quibus de damno tertii agitur „ *Haud exiguam* „ *Sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam requirere*. „ Hæc omnia tandem conferas velim cum hoc ultimo, de quo hic a nobis sermo est, sapienti monito: *Priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur*.

VI. Dicito nunc: Nonne & litera, & spiritus hujusce Decreti eo unice spectat, ut in hisce præsertim de justitia quæstionibus, eos Doctores, ducesque sequamur, qui magis inter ceteros prædicantur? Porro illi inter cæteros prædicantur, qui, [illegible]it Pontifex Maximus, *Doctrinæ, & virtutis gloria supra cæteros efferuntur*. Quinam hi vero? Sancti Ecclesiæ Doctores tum prioris ætatis, Basilius nempe, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus &c., tum posterioris temporis Bernardus, Raymundus, Thomas, Bonaventura, Albertus Magnus, Antoninus, Bernardinus, Carolus Borromæus, cæterique similes, qui splendidissimo Ecclesiæ ipsius testimonio, Doctri-

næ,

næ, & virtutis gloria claruerunt. Hi nobis Sacræ Theologiæ fontes aperiunt, Sacros Canones, seu Conciliorum Decreta, Summorum Pontificum Constitutiones explicant, ut cognosci a nobis germanæ morum regulæ possint. Perspicuum ergo est, Pontificem Maximum hac sua Epistola edicere potissimum Theologis, Pastoribus, Confessariisque omnibus, ut Sanctos Ecclesiæ viros, qui, quod docuerunt, præstiterunt, &, quod ipsi egerunt, docuerunt; ac supra cæteros & doctrina, & Sanctitatis gloria floruerunt, consulant, examinent, atque diligenter considerent. Quod si dissidium (quod raro invenies) inter illos esse cognoverint, eas seligant opiniones, *quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent*.

VII. Qui opiniones minus probabiles seligerent, & potissimum in his controversiis, parerent ne Summi Pontificis Epistolæ Decretali? Seligerent ne opiniones, *tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas*? Quid? si opiniones hujusmodi a Doctoribus, qui *Doctrinæ, & Sanctitatis gloria supra cæteros efferuntur*, improbarentur? Verum putasne, inquies, Pontificem Maximum præcipere, ut probabiliorem in hisce controversiis defendamus, consectemurque sententiam? Non ego id contendo, sed spiritus, & litera Epistolæ Decretalis id nobis summa perspicuitate insinuant. Verbis usus prudentissime est obviis, quibus se velle tantum significaret, in dubiis securiorem a nobis partem amplectendam esse.

CAPUT II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ De contractu autem, qui novas has controverſias excitavit,
„ nihil in præſentia ſtatuimus. Nihil etiam decernimus mo-
„ do de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Cano-
„ num interpretes in diverſas abeunt ſententias. Attamen
„ pietatis veſtræ ſtudium, ac religionem inflammandam exi-
„ ſtimamus, ut hæc, quæ ſubjicimus, exequutioni deman-
„ detis.

§. UNICUS.

Nonnulla ſophiſmata adverſus ea, quæ dicta ſunt, diluuntur.

I. NON dubito futuros plures, qui ſubirati ſic contra nos clamitent: Eccur Prudentiam, Sapientiamque *BENEDICTI XIV.* imitatus non es? Ille ab omni ſuper contractibus in utramque partem a Theologis diſputatis judicio abſtinuit. Tu vero quæ non ſcripſiſti adverſus contractus implicitos, & innominatos? Porro de his contractibus nonne diſputant in utramque partem Theologi, & Interpretes Canonum? Cur ergo cenſoria virga eos notare es auſus? Si Pontifex prudentiſſime ab omni judicio abſtinuit, an non licebit nobis præfatos contractus celebrare; & quidem tuta conſcientia? Si quid uſuræ, ſiquid injuſtitiæ ſupremus Eccleſiæ judex in his contractibus deprehendiſſet, ab omni ne illos cenſura dimiſiſſet immunes? Nunquid Chriſtianos tanto æternæ ſalutis diſcrimini obnoxios reliquiſſet? Si vero liberum nobis eſt ejuſmodi contractus tuta conſcientia celebrare, cur tu tribunal exigis, gravique ſupercilio in præfatos contractus cenſuras intorques?

II. Hæc ſunt mera ſophiſmata. Hæc cupiditatis, omnium malorum fontis perſuaſiones. Cur Pontifex Maximus a ferendo judicio tum in contractus, qui contendendi occaſionem præbuere, tum in cæteros, de quibus diſputant Theologi, & Canonum ſacrorum Profeſſores in utramque partem, abſtinuerit, jam dictum eſt ſupra. Quoniam vero propoſitus Epiſtolæ textus porrigit iterum occaſionem ſub examen revocandi eamdem rem, lubet copioſius in ea declaranda præfari.

III. Apo-

III. Apoſtolica Sedes, ut dictum ſæpe eſt, ſua judicia communiter non fert in hoc, aut illud factum pluribus circumſtantiis implicatum, ſed regulas firmas, & canones certos præſcribit, ad quos facta ipſa revocanda ſunt. Contractus quilibet in diſputationem vocatus modo ſub uno, modo ſub altero aſpectu producitur. Utraque pars ſtudet contractum aut purgare ab uſura, & ab injuſtitiæ eumdem damnare. Contractus tot induit formas, quot ſunt ſtudia diſputantium. Ut veritas in tuto ſit, præſcindendum ab his peculiaribus diſſidiis, & regulas certas, ad quas contractus omnes revocandi ſunt, præfinire convenit.

IV. Verba hæc ſunt, inquies fortaſſe mihi. Nonne licet poſt hujus Decretalis Epiſtolæ promulgationem illos contractus celebrare, qui ante in uſu erant, quique probabiliter a novis Theologis defenduntur liciti? Nullam ex opinionibus, quas Theologi pii, ſapienteſque tuentur, damnavit Pontifex; ergo nunc licet eas poſt vulgatam Decretalem Epiſtolam ita, ac antea propugnare ſententias, eoſdemque contractus agere, quos in anteceſſum inire conſuevimus.

V. Ergo, equidem inferam, vana, & ſuperflua eſt Decretalis Epiſtola. Nihil ergo jubet, nihil ſancit, nihil conſtituit Pontifex. Ita ajunt. Egregie. Ita etiam affirmarunt jam uſque a ſeculo XVI., Probabiliſtæ, quos P. Tamburinus *ingenioſos Theologos* vocat. Edidit ſuas Conſtitutiones S. Pius V. adverſus *Cambia ſicca*, *Cenſus perſonales*, *Depoſitorum contractus*. Inclamatum continuo eſt, noluiſſe Pontifices damnare opiniones, quas agitant Catholici Theologi in utramque partem. Hæc eſt reſponſio, quam dant Leſſius, Bonacina, de Lugo, aliique plures. Objicienti non ita pridem mihi hoc nimium audax ſophiſma in hunc modum reſpondi: Dum ergo Pontifices ſuas Conſtitutiones edunt, non Catholicorum, ſed Æthiopum, vel Turcarum opiniones damnant: Non laxam opinandi quorundam Catholicorum libertatem coercent; ſed infidelium errores corrigunt. Quis umquam adeo feſtiva commenta intellexit?

VI. Sed paucis me expediam. Nullum contractum peculiarem, nullam Catholicorum opinionem determinatam damnavit Pontifex; ſed omnes improbavit, quæ cum doctrina, & principiis ſua Epiſtola conſtitutis pugnant. Hoc ſimplici, & perſpicuo reſponſo omnes argumentationes in fumum abeunt. Videndum nunc itaque qui contractus conformes, quive difformes ſint a doctrina in hac Decretali tradita. Si diformes inventi fuerint, futile eſt refugium ad auctoritatem piorum Moraliſtarum.

VII. Principia autem hac Decretali Epiſtola conſtituta ſunt hujuſmodi.

modi. 1°. Lucrum vi mutui perceptum fœneratorium eſt. 2°. Quod pecunia tradita ſit diviti, aut pauperi, non tollit crimen uſuræ. 3°. Neque quod accipiens pecuniam ſit ex eadem ingentia lucra, & commoda aſſequuturus. Certa hæc omnia. 4°. Ut tituli, aut contractus ſint juſta lucrandi cauſa, habeant oportet naturam, ſeu rationem a natura *mutui prorſus diverſam*. 5°. Hi contractus non ſemper ac pecunia collocanda eſt, occurrunt, & ſæpe nonniſi unico mutationis contractui locus eſt. 6°. Quando de his contractibus diſputatur, illæ ſeligantur ſententiæ, quas Doctores, qui & ſapientia, & ſanctitate ſupra cæteros efferuntur, propugnant. Quibus poſitis argumenti noſtri ſententiam urgeo.

VIII. Tituli angoris, & moleſtiæ ob pecuniæ privationem, quos eſſe juſtam lucrandi cauſam docent Pii Doctores, & Orthodoxi, ſunt ne memoratis Epiſtolæ principiis conſentanei? Contractus impliciti in formulis exhibitis a Leſſio, & Gibalino habent ne rationem a mutui natura prorſus diverſam? Contractus hi, aliique ſimiles defenduntur ne a Doctobibus, qui cæteris doctrina, & ſanctitate antecellant? Quid ad hæc? Quouſque tandem nonnulli Juniores verborum, & apicum venatores prudentia, & clementia Maximorum Pontificum abutentur? Si propoſitiones damnantur, auctoribus, unde ſunt excerptæ, prætermiſſis, nullibi reperiri dictitant. Si Auctores, & libri indicantur, reſpondent non eſſe ſincere inde excerptas, ſed in libris ejuſmodi ſenſum ſaniorem præferre. Si denique regulæ, & ſanæ doctrinæ principia conſtituantur, nulla proſcripta opinione, tunc nihil effectum eſſe ajunt, ſed immotas conſiſtere opiniones, quas Orthodoxi, piique ſcriptores defendunt. Benignitatem Pontificum in pravum ſenſum detorquent, quod *Summo Pontifici* expediens viſum fuerit, nec Auctores, in quibus reperitur doctrina erronea, indicare, nec contractum quempiam nominatim damnare. Hinc ne colligendum nihil definitum? Si unum quempiam contractum reprobaſſet Pontifex, illico illi, adjecta clauſula neſcio qua, damnationem eluſiſſent. Immo vero dixiſſent: *Damnatus eſt hic contractus & non alter*, licet omnino idem, ſed diverſis expreſſus verbis: Ergo hic licitus, & juſtus, ſi alter, & non hic eſt damnatus.

IX. Ex quibus omnibus colligendum eſt, quam verum ſit, quod ſupra conſtituimus: videlicet ſuperfluas eſſe omnes Pontificum, & Eccleſiæ univerſæ leges adverſus uſuram, quoties ſpiritus Evangelicæ Doctrinæ ſervandæ in cordibus Chriſtianorum non dominetur. Innumeræ ſunt adverſus uſuras Conſtitutiones, innumeri canones, damnatæque propoſitiones plures. Sed & cavilli, & ſophiſmata, qui-

quibus leges hujuſmodi implicantur, ſunt infinita. Sophiſtis ergo claudendæ aures, & Evangelicæ doctrinæ auſcultandum, obtemperandumque.

CAPUT III.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Quod ſi diſputatio inſurgat, dum contractus aliquis in exa-
„ men adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confin-
„ gantur, qui contrariam ſententiam ſequuntur, neque
„ illam gravibus cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim
„ ratione, & præſtantium virorum teſtimoniis minime ca-
„ reat. Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Chri-
„ ſtianæ charitatis infringunt, & graviſſimam populo offen-
„ ſionem, & ſcandalum præſeferunt.

§. UNICUS.

Senſum erroneum, quem nonnulli Recentiores eruebant ex mandato Innocentii XI. Caveant ab omni cenſura, & nota, *improbatur in reſcripto Epiſtolæ Textu, ut ego quidem ſentio. Quomodo Venerabilis Innocentii Papæ præceptum intelligendum ſit, declaratur, & exponitur.*

I. VEnerabilis Innoc. XI. in ſuo decreto, quo LXV. propoſitiones damnavit, prohibet, ne opiniones inter Orthodoxos controverſæ cenſuris configantur: „ Caveant ab omni cenſura, & nota, „ nec non a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ „ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur. „ Nonnulli Recentiores, ut latam ſibi ad quamcumque laxam opinionem propugnandam, viam aperirent, ſeveriſſime Decretum hujuſmodi interpretati ſunt. Quoties aliqua illorum opinio ut improbabilis, vel falſa refutabatur, continuo tranſgreſſionem Innocentiani Decreti exprobrabant. Hæc ſola vox *improbabilis*, gravis cenſura illis erat: gravior hæc altera; *falſa*.

II. Ut Epiſtolæ Pontificiæ noſtræ textum vero ſenſu interpretemur, primum omnium, quid nomine cenſuræ in Decreto Innocentiano intelligatur, explicandum eſt. Si quis affirmet aliquam

quam opinionem esse *improbabilem*, & *falsam*, non propterea talis propositio censura confixa reputatur. Ita docent vel benignores Probabilistæ, Cardenas, Hurtado, Lugo, quos citat, & sequitur Cladius La Croix *lib.* 1. *ad Busembaum cap.* 11. *num.* 199. *pag.* 16. „ Siquis „ sententiam aliquam appellat improbabilem, vel levem, saltem in „ communiore sensu non est censura, ut notant Hurtado, Lugo, „ Cardenas; ideoque dicit Cardenas, quod leviſſimum genus cen„ suræ Theologicæ sit, dicere *temerariam*. Prohibetur tantum for„ malis censura, non autem si dicatur aliquid de sententia, ex quo „ inferri possit censura „. Censura formalis est dogmatica, & definitiva, quæ non vi alicujus ratiocinii infertur, sed absolute affingitur propositioni.

III. Omnes pariter Theologi fatentur, nullam censuram illum inurere, qui ex aliqua opinione absurda hæreses, aliaque incommoda proficisci demonstrat, ut sententiæ ex effectibus falsitatem ostendat. Unius Patris Camargo verba ex Præfatione ad Regulas morum exscribam. *Neque si quis deduxerit ex ea sequelas plurimas, quas affirmet, aut probet esse longe horrendissimas, vel hæreticas etiam, aut blasphemas.* Pater Dominicus Viva in *Propos.* XXXII. *Alex. VII.* advertit ex una Propositione damnata alteram inferri posse, si eadem utriusque sit damnationis ratio. „ In propositionibus damnatis at„ tendenda est ratio condemnationis, quæ si æque militet in aliis ca„ sibus, condemnatio implicite etiam ad illos casus se extendit „.

IV. Ad convicia quod attinet, & contumelias, distinguendi sunt sales, lepores, quibus aspergi oratio solet, & lectorum aures moderate, humaniterque vellicantur, ut animum illi magis intendant, ab injuriis, & improperiis, quæ honorem, & famam lædunt, ipsiusque scriptoris honestatem dedecent. Nisi hæc præmittatur distinctio, omnia Patrum opera, quæ Apologetica sunt, Basilii, Athanasii, Augustini, Hieronymi, Bernardi, aliorumque plena conviciis, & contumeliis dicerentur, quod tamen falsum est, ut advertit Francolinus in *Præf. ad Clericum Romanum*. Aberunt ergo a nobis convicia. Nullum verbum in personas minus modestum e nostro calamo umquam excidet. Solos errores, opinionesque Christianæ morali adversas interdum opportunitate data salibus perfricabimus, exactis tamen omnibus ad leges honestatis, charitatis, & veritatis.

V. Altera particula Decreti Innocentiani; *inter Catholicos controvertuntur*, explicanda est. Illæ quæstiones dicuntur inter Catholicos controversæ, quas Universitates, & Catholicorum Scholæ, adoptarunt, ut Parisiensis, Salmaticensis, Thomistica, Scotistica, Augu-

Auguſtiniana : minime vero illæ, quas hic, aut ille Caſuiſta proprio marte conceptas in dies promit. Quid? Dicenda ne ſententia inter Catholicos controverſa, quæ a gravi culpa eximit tactus mamillares, quod duo, treſve Caſuiſtæ id doceant? Opinio ne inter Catholicos controverſa dicenda eſt, quæ ait: „ Jam vero propoſita doctrina „ de indifferentia intrinſeca ejuſmodi tactuum eſt adeo certa, ut vi- „ deatur negari non poſſe abſque periculo erroris in fide. Conſtat „ enim ex Sacra Scriptura multis in locis: *Super ægros manus impo-* „ *nent &c.*„ Dicenda ne controverſa P. Terilli opinio, ajentis *tract. de conſc. 22. pag. 287. num. 201.* Sanctiſſimam Virginem, & Sanctum Joſeph ſecutos fuiſſe opinionem minus ſibi probabilem vel dum agebatur de præcepto naturali, & divino conſervandi & alendi Chriſtum? Vide hic Camargo in Præf. §. 4. Dicendæ ne ſexcentæ aliæ opiniones, *inter Catholicos controverſæ*, quæ horrorem, & ſcandalum vel ipſis hæreticis ingerunt, & tamen ab hoc, aut illo Catholico Caſuiſta defenduntur? Illas nunc recenſere nolo brevitatis gratia. Recenſebo autem ſuo tempore, ſi opus fuerit, plus mille. Legantur trecentæ illæ, quas Hiſpaniarum Archiepiſcopi, & Epiſcopi per Cardinalem Bellugam obtulerunt damnandas Pontifici maximo.

VI. Senſus, quem nonnulli Recentiores expreſſerunt ex laudato Decreto, non modo falſus, erroneuſque eſt, ſed Catholicæ religioni perniciosiſſimus. Contendebant hi opinionem aliquam invectam, propugnatamque ab hoc, vel illo Theologo Catholico minime refutari poſſe, notarique tanquam improbabilem, falſam, ſcandalique plenam. Quo principio poſito, nullum eſt abſurdum, quod non ſequatur. Hæreſum inventores fuerunt communiter Catholici: & Catholicorum quilibet aliquam invehere hæreſim poteſt, vel contra articulos Fidei, vel contra mandata Decalogi. Romana Sedes non ſolet illico damnare erroneas opiniones, ſed pedetentim incedit, & gravitate ſumma, ut illius decet Majeſtatem. Interim ne Grex Evangelicus morſibus luporum, ſub veſte ovium in ovile Chriſti venientium, patebit? Licitum haud erit inclamare improbabilem, falſam, erroneam, ſcandaloſamque eſſe opinionem invectam? Vetitum ne nobis erit aſſerere, atque inclamare, putidiſſimum errorem eſſe, atque abſurdum ſophiſma illud, quod mox innui, inepiſſime, & nimis fidenter (ne quid gravius dicam) eductum ab Evangelico eo textu: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*? Ergo abſque periculo erroris in fide negari nequit tactus mamillares abſque ulla neceſſitate habitos indifferentes eſſe? Violatores ne Pontificii Decreti habebimur, ſi hæc ut putida, & luculenta commenta rejecerimus?

VII. Refutato, inquies, illa, si displicent: sed modeste, & quadam obsequentia. At quænam erit hæc phrasis obsequiosa? Ecce: *Meæ imbecillitati probabilius videtur, opposita opinio mihi magis arridet*, & alia hujusmodi. Quid ita? Quia jam beneficio Probabilismi opinio quæque saltem minus probabilis remanet. Opinio enim, quam docent aliqui Theologi pii, & docti semper aliqua probabilitate fruitur. Hinc refutatio quantumvis efficax, superflua est. Huc recidit charitas illa, quæ tanto prædicari fervore solet. Huc istius novæ benignitatis molimina, quæ in Adversarios ipsos regere necesse est. Probabilismus ipse nos cogit improbare præfatas, similesque opiniones, tanquam falsas, erroneasque: quoniam, si mitior esset sermo noster, Probabilitatis pallio indutæ opiniones illæ pro probabilibus ab incautis Lectoribus haberentur; & graviter illorum animas, turpissimeque inficerent. Quare hoc illis palliolum eripiendum, ut deformitas monstruosa appareat: alioquin in nihilum occidit confutatio quæque.

VIII. Sed, quod mirari satis non possumus, est, quod Probabilistæ omnia Divina mandata, ac vel ipsum primum, atque præcipuum præceptum amandi Deum, benigne, & large interpretantur: Contra Pontificium Decretum extremo rigore, & inaudita severitate exponunt, ut advertit sapiens P. Ignatius de Camargo insignis Theologus Jesuita. *Hoc nimirum præceptum benigni Recentiores suscepisse quamlibentissime, ac liberalissime videntur. Nam, cum reliqua fere omnia, tanquam onerosa, ac odiosa restringenda esse pronuncient, sive benigne interpretanda: Hoc tamen Pontificium præceptum adeo severe, & rigide intelligendum censent, ut nemini liceat, post illud, opinionem cujusvis Catholici viri, vel falsam simpliciter dicere: quin vix prodit in lucem liber ullus contra Moralem laxam Doctrinam, quem non statim deferant ad Fidei Tribunalia, tanquam reum violati Decreti Pontificii. In Præf.*

IX. Auget vero admirationem, subdit doctus Jesuita Camargo, quod Probabilistarum plures passim Probabilismi oppugnatores appellant *Rigoristas*, *Jansenistas*, *Novatores*. Hi non in opiniones, sed in personas ipsas improperia vibrant, hæreseos censuras benignissime infligunt. Si quis vero illorum opiniones, vel leviter vellicaverit, transgressor est charitatis. *At video complures esse Probabilistas sane delicatissimos, qui cum ipsi* AUDACISSIME *non modo de nostra sententia, verum & de Patronis ejus quidvis loquantur, & scribant: Benignam tamen suam opinionem vel* LEVITER *tangi non ferunt*. Nemo non videt rigidissimam hanc Pontificii Decreti interpreta-

pretationem eo ſpectare, ut novus opinandi modus ſimplicitati Evangelicæ oppoſitus, immunis ab omni cenſura evadat, libereque incedat, concludit perdoctus Jeſuita Camargo. *Quo tendat rigor iſte benignitatis, difficile non eſt divinare. loc. cit.*

X. Verum enim vero grates ſummæ agendæ Pontifici Summo BENEDICTO XIV., qui vana hæc, & ſane pernicioſa interpretamenta de medio ſuſtulit. Eas namque opiniones prudenter, ſapienterque ille cenſuris notandas inhibet; quas præſtantes Theologi potiſſimum, & ratio defendunt: SI PRESERTIM RATIONE, ET PRÆSTANTIUM VIRORUM TESTIMONIIS minime careat. Qui autem ſint Viri in Theologia, & in Sacrorum Canonum profeſſione præſtantes, ſupra declaravit Pontifex Summus: nempe, qui non modo doctrinæ, verum etiam Sanctitatis gloria ſupra cæteros efferuntur. Itaque vetat notari opiniones, quas Viri docti, & Sancti propugnant, tanquam Divinæ legi conformiores.

XI. Quid? Licitum ergo, inquies, per te erit, opiniones aliorum, qui neque Doctrinæ, neque Sanctitatis fama ſplendent, cenſuris notare? Reſpondeo, quam maxime licitum eſſe, ſi opiniones revera falſæ, erroneæ, & ſcandali plenæ fuerint. Secus, ſi revera probabiles ſint, vera, & ſolida probabilitate. Huc igitur res tota recidit. Videndum, cavendumque, ne cenſuræ *Rigoriſmi*, *Janſeniſmi*, *Benignıſmi*, *Laxiſmi* illis propoſitionibus inurantur, quæ ut tales demonſtrari nequeunt. Igitur antequam aliquis proclametur Mandati Pontificii violator, prius oſtendendum eſt, propoſitiones dignas non eſſe tali, vel tali cenſura; quia & rationi, & Virorum doctrinæ, & virtutis gloria præſtantium conſentaneæ ſunt. Niſi id præſtetur, rumores ſerere, calumniari nil proderit. Cæterum ſi virus peſtiferum opiniones contineant, licitum non erit, illud manifeſtare, detracta confictæ probabilitatis larva? Conculcandum ergo Evangelium, quod præcipit, ut Proximo ſeductionis periculo expoſito ſuccurramus? Urget charitas, ut corporum peſtem manifeſtemus occultam. Animarum vero peſtem, ne illam invehentibus damnum inferamus, occultabimus, & impune graſſari patiemur? In hoc ergo tota vertitur res. Sint ne iſtæ opiniones noxiæ, perniciofæque morum integritati, an vere innoxiæ! Si primum prodendæ, deteſtandæ: ſi ſecundum, commendandæ.

XII. Perpendenda ſunt ſingula Epiſtolæ noſtræ verba: *Nullæ omnino contumeliæ confingantur*. Ab his ſemper abſtinendum, quod & honeſtatis, & charitatis legibus contumeliæ repugnent. *Neque illam gravibus cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim ratione, &*

præſtantium Virorum &c. Cenſura levis eſt *temeraria*, ut ex Cardenas animadvertit P. La Croix. Graves autem cæteræ, quæ adiici ſolent. Porro opiniones, quæ tum ratione, tum præſtantium Virorum auctoritate confirmatæ ſunt, neque levibus, neque gravibus cenſuris configendæ, ſed obſequio ſuſcipiendæ ſunt. Præterea ſemper præ oculis habenda diſtinctio eſt cenſuræ, & abſurdorum, quæ vi ratiocinii inferuntur, a cenſura formali, & definitiva, quæ abſolute profertur. Optima hæc ſunt, inquies. At hujus, vel illius Scriptoris non eſt definire, utrum hoc, aut illa opinio laxa ſit. Bene. At eſt ne hujus, vel illius Probabiliſtæ notam *Rigoriſmi. & Janſeniſmi* cuique pro ingenio affingere; & vel ipſa identidem opinionum monſtra typis vulgare, eaque nobis ceu probabiles opiniones divendere. Paucis res tota declaratur. Quando opinio quælibet evidenter æquo rigidior, aut laxior eſt, quiſque poteſt &, prout conditio fert, debet, illam manifeſtare ut talem. Si opinio talis non fuerit, neque probari a Cenſore ut talis poterit, tum plectendus cenſor eſt: commendandus vero, utpote de Eccleſia bene meritus, ſi æquam, juſtamque cenſuram demonſtraverit. Pluſquam ſexcentas propoſitiones laxitatis ego notavi. Adeo vera, adeo manifeſta laxitas earumdem Adverſariis apparuit, ut & ipſi eas deteſtati ſint. Illud ſolum oppoſuerunt, textus truncatos a me identidem productos eſſe. Quam calumniam ſane graviſſimam millies labefactavi. Tam enim ſinceri ſunt Textus, quam laxæ ſunt propoſitiones. Conficiamus ergo rem totam hac Evangelica doctrina: Si corrigendus, Deo jubente, publicus peccator, potiori jure corrigendi ſunt Libelli typis editi, quoties laxitatibus, & erroribus referti ſunt.

CAPUT

CAPUT IV.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Tertio loco, qui ab omni uſuræ labe ſe immunes, & inte-
„ gros præſtare volunt, ſuamque pecuniam ita alteri dare,
„ ut fructum legitimum ſolummodo percipiant, admonendi
„ ſunt, ut contractum inſtituendum antea declarent, &
„ conditiones inſerendas explicent, & quem fructum ex ea-
„ dem pecunia poſtulent. Hæc magnopere conferunt non
„ modo ad animi ſollicitudinem, & ſcrupulos evitandos,
„ ſed ad ipſum contractum in foro externo comprobandum.
„ Hæc etiam aditum intercludunt diſputationibus, quæ non
„ ſemel concitandæ ſunt, ut clare pateat, utrum pecunia,
„ quæ rite data alteri eſſe videtur, revera tamen *palliatam*
„ uſuram contineat.

§. I.

Clare in hoc textu improbantur (ut ego quidem arbitror) contractus impliciti & innominati, qui ſunt mera mutui pallia.

I. QUamquam, ut ſæpius dixi, nullam peculiarem opinionem, nullumque contractum damnavit Pontifex Summus: tamen regulas certas, & adeo perſpicuas conſtituit, ut hinc colligere nobis liceat, contractus implicitos, & ſola bona intentione initos, improbatos jacere. Si enim declarandæ ſunt conditiones contractui inferendæ, & deſcribendus contractus, locus eſſe nequit contractibus implicitis, ſolaque intentione celebratis. Et ſane ſi uſura, modo manifeſta, modo palliata eſt, quodnam, amabo te, ſplendidius pallium ad occultandam uſuram, quam contractus impliciti? Aut ergo dicendum nullam eſſe uſuram palliatam, aut fatendum uſurarum pallia eſſe inter cætera contractus implicitos, mutuoque innatos.

II. Alterum, non minus venuſtum uſurarum pallium, ſunt contractus innominati. Ad hos tandem innominatos contractus ſe ſe, veluti ad ultimum aſylum, recipiunt PP. Leſſius, & Gibalinus. Quod ſane effugium, evidens eſt afflictæ, & deſperatæ cauſſæ argumentum.

Hæc

Hæc ſunt verba P. Leſſii *lib.2. cap.25. dub.3. num.22. Hinc patet hos contractus poſſe fieri per modum unius contractus inuominati: Do, & facio, ut des, & facias. Nimirum trado tibi hanc meam pecuniam ad negotiandum (exponens eam periculo, & privans me illius commoditate) & do tibi lucrum, ut tu ea negotieris, & ut te obliges ad reddendum ſortem, & ad ſolvendum ſex, & $\frac{1}{4}$ in centum, tradam tibi meam pecuniam, & concedam tibi totum lucrum. Hi non ſunt tres contractus a ſe mutuo independentes, ſed unus ſolus, involvens omnia, quæ utrinque ſunt conferenda, & commutanda. Eadem docet P. Gibalinus lib.6. cap.6. conſec.2.*

III. Verum aut contractus iſte juſtus eſt ob denominationem extrinſecam contractus innominati, aut quia intrinſecus fit unus contractus innominatus? Si primum, omnes contractus nominati ſuam juſtitiam a contractu innominato accipere poſſent, dum intima æquitate carent. Si ſecundum: ergo deſtruitur primus contractus, & duæ aliæ pactiones propriam amittunt naturam. Quibus deſtructis una coaleſcit chimæra innominata. Clarius rem expono. Illos dumtaxat contractus innominatos vocari leges concedunt, qui propriam naturam, formamque non habent alicujus ex contractibus nominatis. Innominati dicuntur: *do, ut des: do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias*. Nominati ſunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Commodatum, Depoſituum, Mutuum, Mandatum, Pignus, Cambium, Aſſecuratio, aliique. Quibus indicatis ſic adverſarios urgeo. Quilibet contractus ſuam formam habet, propriumque nomen. Exempli gratia pone tres contractus; alterum ſocietatis: alterum aſſecurationis: tertium venditionis. Si juncti propriam retinent formam, proprium quoque nomen retineant opus eſt. Ergo ſubire innominati contractus denominationem haud poſſunt. Si conjuncti deſtruuntur, innominata chimæra conſurgit. Evinco. Contractus innominatus non coaleſcit ex contractibus nominatis. Hanc metamorphoſim nemo hactenus commentus eſt. Quo enim pacto inde emergat tranſmigratio iſthæc? Pactiones adjectæ contractui principali, illum non deſtruunt, ſed perficiunt. Si illum deſtruunt, cum eodem pugnant. Ergo falſa univerſa doctrina Leſſii, Gibalini, aliorumque pro hoc triplici fœdere adducta. Princeps contractus eſt ſocietas. Deſtruitur ne hæc adjectis duobus pactis, an ſecus? Si primum. Ergo componi ſimul nequeunt contractus omnes. Si ſecundum. Ergo non innominatus, ſed nominatus contractus dicendus eſt. Pluribus opus non eſt, ut palam fiat, quam ſit inepta hæc machina, quæ tandem definit in contractum innominatum.

IV. Poſtre-

IV. Postremo, si loco mutui substitui denominatio contractus innominati posset, nulla amplius in Mundo usura esset, quod toties damnatum in Epistola nostra est. Hinc colligas velim, quam necessarium monitum sit, quod primo loco præmittit Pontifex Summus: *Primum gravissimis verbis populis vestris ostendite usuræ labem, ac vitium a Divinis Literis vehementer improbari. Illud quidem varias formas, atque species induere, ut Fideles Christi Sanguine restitutos in libertatem, & gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat.* Dicant quæso nobis Patroni contractus impliciti, innominati &c., quænam sint hæ species variæ, quænam hæ formæ diversæ, quas usura subire consuescit? Assignent, si valent, alias larvas diversas ab illis, quas ipsi invexerunt.

§. II.

Ultima usuræ larva. Census personales utrimque redimibiles.

I. Ultima usuræ larva est census personalis, qui variis modis celebrari solet, variisque fucis obtegi. Multa dicenda de censu reali, de illius origine, progressu, & approbatione Ecclesiæ essent. Sed quia Pontifex Summus in hac sua Decretali nullum peculiarem contractum inter Casuistas controversum expresse confixit; idcirco & ego ex instituto plurimos contractus non dispiciam. Nonnulla obiter dicam, quæ consequi ex Epistola Decretali videntur; plura in posterum dicturus, si fuerit otium, & locus.

II. Census itaque personalis, quocunque modo conceptus, sive persona fructifera sit, sive sterilis, sive bona habeat, sive secus, larva usuræ est, purumque mutuum palliatum: potissimum vero si sit utrinque redimibilis. Ratio utique pervia est. Quoniam reipsa in hoc censu non aliud venditur, aut emitur, præter pensiones solvendas. Ergo qua ratione pro 100, quæ nunc traduntur, emi nequeunt 200 per partes solvenda, sublato omni vero titulo extrinseco: eadem ratione nequit emi census, vi cujus pensiones istæ, quæ superant valorem pecuniæ traditæ, per partes, seu in annum solvendæ sint. Quod vendantur pensiones ipsæ, evidens est. Nam qui se personaliter obligat ad aliquid solvendum pro pretio, quod nunc accipit, non potest vendere jus ad rem illam, quin simul rem ipsam dandam vendat. Cum venditur triticum postea tradendum pro pretio præsenti, venditur ne jus ad triticum, secus triticum ipsum? Cum Mutuatarius se obligat ad reddendum mutuum, nunquid se obligat ad

jus

jus tantum, ſecus vero ad pecuniam ipſam reddendam? Illa ergo res, ad quam dandam ſe venditor aſtringit, illa ipſa eſt, quæ venditur, emiturque. Verum ergo eſt, quod in cenſu perſonali pro mille præſentibus venduntur, & reſpective emuntur duo millia futura. Porro quemadmodum uſura eſt, dum tibi creduntur mille, ut poſt decem annos eadem reſtituas, & interim ſingulis annis ſolvas quadraginta, vel quinquaginta; ita uſura eſt, dum te obligas ad ſolvendam penſionem annuam, non computandam in ſortem, ſed ſorte ſemper integra perſeverante. Nulla quippe hic diverſitas præter vocem. Quando autem additur jus redimendi vivum ex utraque parte, tum evidentius mutuum apparet una cum uſura.

III. Urget, inquiunt Adverſarii, ratio iſthæc: At idem prorſus contingit in cenſu prædiali, ſeu reali, qui licitus ab Eccleſia reputatur. Quam paritatem præ cæteris Salmaſius exaggerat. At non minor diſparitas eſt inter cenſum prædialem, & perſonalem, quam inter prædium, & hominem. In cenſu reali prædium ipſum quantum ad dominium utile, in præſens emitur, dum pretium ſolvitur. Prædium ipſum fructiferum eſt. In cenſu perſonali non venditur perſona. Diſtinctio dominii directi, & utilis locum non habet nec reſpectu pecuniæ, nec reſpectu perſonæ.

IV. Quid ni, reponunt, habere hæc diſtinctio locum poteſt etiam reſpectu Perſonæ? Hæc induſtrioſa eſt. Porro induſtria fundus frugifer eſt, non ſecus ac ager: venduntur opera famulorum; quid ni & jus ad operas ipſas? Quam ſint variæ argutationes iſtæ, inde quiſquis colligere poteſt, quod ſi induſtria perſonæ venderetur, jam pro perſonæ dignitate augeri, aut diminui pretium penſionum deberet. Nonne prædiorum pretia diverſa ſunt. Ager in hoc loco valet 100., in alio 50. Si Ruſticus avarus conducere in famulum vellet Comitem, aut Marchionem, quanti emere deberet iſtorum operas? Cum ergo ab his emere cenſum perſonalem velit juxta perſonarum dignitatem, augere pretium pro penſionibus ſolvendis aſtringitur. Itaque ſi cenſum perſonalem emis a Plebejo 100. pro 5. annuis; a Nobili, a Marchione, a Principe emere debes 400., aut 500. pro 3. annuis. Pretia quippe juxta fundorum valorem diverſa ſunt.

V. Adeo hæc luculenta ſunt, ut P. Leonardus Leſſius, Theologus cæteroquin acutus, aliquo modo eadem eludat, ſeſe ad aſylum recipiendo pecuniæ præſentis, quæ plus valet, quam futura pecunia ſolvenda per partes. Quam doctrinam damnavit Eccleſia. Confugit quoque ad hominum uſum. Siquidem *cit. lib. 2. cap. 22. dub. 4. num. 25.* ſibi objicit hoc argumentum: Qui emit jus exigendi pecuniam,

emit

emit ipſam pecuniam: Atqui pecunia non eſt vendibilis. Hoc autem præbet reſponſum: *Reſpondeo ad majorem, verum non eſſe, eum, qui emit jus ad pecuniam, emere proprie ipſam pecuniam; cum hæc multum differant, ut ex communi uſu hominum patet, qui quotidie jura ſua, & actiones pecuniarias vendunt.* Addendum ex uſu hominum *fœneratorum*. Ab iſtorum ne hominum uſu colligendæ morum regulæ ſunt? Avarorum hominum corruptelæ in novæ moralis Theologiæ ſubſidium advocantur?

VI. Sibi objicit *num.* 29. Emptio cenſus perſonalis non eſt aliud, quam emptio perſonalis debiti ſucceſſive ſolvendi, & juris perſonalis ad illud exigendum. Sed tale debitum, & jus, ſi nullum timeatur periculum, non minus valet, quam res ipſa. Ergo &c. *Reſpondeo primo* (inquit Leſſius) *negando minorem, longe enim pluris communi hominum æſtimatione cenſetur valere pecunia* Præſens, *quam actio perſonalis, ſeu jus ad illam, ſic per partes, & per tanta intervalla exigendam*. Hanc doctrinam de majore valore pecuniæ præſentis, quam futuræ, frequenter, & clarius repetit pluribus in locis, quia, dum viveret ille, adhuc damnata ab Eccleſia non erat. Tandem, ut hos cenſus propugnet, hanc inter alias rationem *num.* 22. depromit. *Tertio niſi liceret tales cenſus emere minori pretio, quam ſint penſiones ſeparatæ, condemnandi eſſent plerique cenſus in Belgio, Germania, & Gallia*. Hæc eſt una ex potiſſimis cauſis relaxatæ Theologiæ, quæ non ad Evangelii præſcriptum, ſed ad hominum mores vult conformari. Fœneratitii plures contractus eſſent, ſi conſiſterent Pontificiæ Bullæ. Ergo dicendum, aut Bullas non eſſe acceptatas; aut, quæ prohibent, non repugnare juri naturali. Hæc eſt argumentatio P. Leſſii, quæ quam ſolida ſit, aliorum eſto judicium.

VII. Rationes, quæ adverſus cenſus perſonales delibavimus, & aliæ plures, quæ adduci poſſunt, majorem certe præferunt probabilitatem. Diſcrimen cenſum prædialem inter, & perſonalem, valde evidens eſt. Et ſi rationes cum rationibus a lumine naturali repetitis pro utraque parte conferantur, ut ego quidem arbitror, validiores plurimum ſunt, quæ uſuram horum cenſuum evincunt, quam quæ juſtitiam eorumdem defendunt. Secus exiſtimabunt Adverſarii. Fac, rem dubiam eſſe. Quid tum? Ad Eccleſiam veritatis Magiſtram confugiendum profecto eſt. Porro Eccleſia approbat cenſus prædiales præſcriptis conditionibus ſervatis: improbat vero neceſſaria, & evidentiſſima conſecutione cenſus perſonales, quidquid in oppoſitum, abſque ullius rationis vola dicat Franciſcus Silvius, non raro in laxiora propendens. Tam perſpicua ſunt verba Conſtitu-

tionis Sancti Pii V., ut nulla verborum circuitione eludi queant.

VIII. Pater Eusebius *Amort*, amicissimus noster, in suis *Disquisitionibus Dogmaticis*, nuper Venetiis editis, integram, & quidem prolixam Disquisitionem scripsit de Censu personali utrimque redemibili. Testatur §. 1. sæculo decimoquinto nondum obtinuisse in Germania. Sœculo XVI. passim non viguit. Sæculo XVII. *primum quidem timide; ad finem autem illius sæculi intrepide invaluit*. Quare vere scripsit P. Gibalinus, Theologiam Probabilisticam magna ex parte primum pavide, post erecto vultu prodiisse. PP. Laymanni, & Haunoldi testimonia in medium producit P. Amort, qui §. 2. subdit, ab anno 1500. usque ad annum 1560, in Bavaria viguisse tantum census reales redimibiles ex parte solius venditoris. Post census isti usque ad annum 1620. fuerunt utrimque redimibiles. Ab anno 1620. irrepsere etiam census personales utrimque redimibiles; idque ostendit pluribus documentis ex Archivio ollingano erutis. §.5. evincit idem P. Amort censum Germanicum, omni alio sublato titulo, fœnebrem esse. §. 12. affirmat censum personalem Germanicum, prout nunc in more est, non raro suspectum de usura esse, & nonnunquam præsumptive usurarium. §. 14. hanc thesim probandam assumit: *Quam timide loquantur ipsimet Patroni contractus censualis personalis utrimque redimibilis*. Textus Biel, Lessii, Layman, Gregorii de Valentia, Sporerii, Schmalzgrueber, & Pichler rescribit, ut propriis istorum Auctorum verbis demonstret, eos dubitanter, & timide propugnasse ejusmodi census. At beneficio Probabilismi nixi, *probabiliter* illos defendunt. Hic quippe Probabilistarum mos est. Dum genericam Probabilismi notionem depingunt, optimis utuntur coloribus; clausulas, & limites præficiunt, qui fucum imperitis faciunt. Cæterum vix ulla opinio laxa occurrit, quam *probabiliter* plures Probabilistæ non defendant. Plures dico, non omnes. Nam agnosco doctos, piosque Probabilistas, qui tametsi Probabilismum theoretice propugnent, reipsa tamen probabiliores in praxi opiniones amplectuntur; sibique religioni vertunt oppositas confectari. Qui plura de censu personali cupit, legat præfatam Disquisitionem, in qua non pauca sunt, quæ mihi non probantur. Nec enim tantum mihi nunc otii est, ut enucleatius rem hanc dispiciam. Serventur, quæ præscribunt Pontifices; & census isti, qui sunt meræ usurarum larvæ, evanescent.

§. III.

§. III.

CONSECTARIUM.

I. Ex iis, quæ disputata hactenus sunt, consequitur, ut ego quidem arbitror, contractus, qui controversiam de usura excitarunt, fœnebres esse. Duplici quippe via eosdem ab usura purgare tentarunt Scriptores. Altera est, quæ usuram moderatam, ex pecunia tradita Mercatoribus, res suas amplificantibus perceptam, non esse a Deo vetitam ait, sed honestam, justamque. Hæc via reprobata jam est. Doctrinam hanc, tanquam hæreseos labe aspersam detestantur Catholici omnes. Solis Calviniſtis, & Lutheranis hæc aperta via remanet; clausa vero Catholicis omnibus.

II. Altera via ab usura purgandi ejusmodi contractus, illa est contractuum implicitorum, aut innominatorum, aut census personalis, aut titulorum, qui sunt veluti mutuo innati. Atqui hæc quoque via fœneratitia indicata est, & ex instituto alio in Opere demonstrabitur. Ergo fœnebres præfati contractus. Unica hinc supereſt evadendi rima; videlicet ostendere, aut contractus implicitos, censusque personales ab omni usura immunes; aut usuram moderatam non esse a Deo vetitam. Sed, quod caput est, ostendant oportet, Christianos reipsa inire in praxi contractus indicatos, iis conditionibus servatis, quas communiter illorum Patroni assignant. Scite dicunt Salmanticenses, Christianos minime capere has *Tricas Casuisticas*. Ergo, ipsis fatentibus, reipsa Christiani, præcisa illa chimærica intentione lucrandi omni meliori modo, quo fieri potest, non contrahunt istos contractus, excogitatos a Recentioribus, quos P. Thomas Tamburinus vocat *Ingeniosos*. Si & praxim omnibus limitationibus circumscriptam, & justitiam contractuum, aut censuum personalium, aliorumque titulorum ostenderint, tum victoriam canere jure poterunt. Meminerint tamen, adeo leviculas, ineptasque ratiunculas, quæ hactenus adductæ sunt in favorem innominati contractus, census personalis, aliorumque titulorum, apparuisse vel hæreticis ipsis, ut hi talia commenta deridenda propinaverint, ansamque arripuerint universam Ecclesiam calumniandi. Idcirco, ut ejusmodi propugnarent contractus, novam in Ecclesia invexerunt doctrinam. Rationes ergo solidas adducere in medium debent Adversarii, non proprio marte partas, sed a juris naturæ principiis, & a graviorum Doctorum auctoritate arcessitas. Documenta Sanctissimi

Pontificis BENEDICTI XIV. ob oculos habeant: ſcilicet, ne propriis opinionibus, ingeniique acumini fidant: ſed conſulant illos Doctores, qui *doctrinæ, & virtutis gloria ſupra cæteros efferuntur*. Eas ſeligant ſententias, quas & ratione, & iſtorum Doctorum ſuffragio *plane* confirmatas intellexerint. Hæc ſi præſtiterint, cauſa finita eſt, uſuraque a libris Moraliſtarum ſublata erit.

§. IV.

Sophiſma diſſeminatum in vulgus, ab Edicto lato a Summo Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. quo vetantur immoderati realium cenſuum proventus, petitum.

I. Dum hæc ſcriberem ad aures pervenit meas, homines reperiri adeo Chriſtianæ doctrinæ adverſus uſuram imperitos, ut diſſeminare in vulgus minime erubuerint, Summum Regnantem Pontificem declaraſſe, licitum eſſe ex pecunia mutuo credita quatuor, aut tria in centum exigere. Incredibile eſt talia a Viris Catholicis, & ſi ſuperis placet Theologis, evulgari potuiſſe. Editnm latum eſt die 7. Septembris 1745. a Summo Pontifice, uti Principe, pro optimo ſui Status politico regimine; minime ut a Supremo Eccleſiæ Paſtore pro aliquo ſive fidei, ſive morum puncto declarando. Ut enormis impoſtura univerſo pateat Orbi, pauca ipſius Edicti verba tranſcribo. „ Di „ noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra Sovra- „ na Poteſta, ordiniamo, e comandiamo, che tutti, e ſingoli „ Cenſi creati, ed impoſti, oppur'anche Cambj, ed altri debiti frut- „ tiferi, paſſivamente contratti dal giorno, e tempo, che entraro- „ no le Truppe eſtere dentro i confini del noſtro Stato Eccleſiaſtico, „ da qualunque Comunità, e Univerſità di eſſo Stato, compreſovi „ anche le quattro Legazioni di Bologna, Ferrara, Romagna, ed „ Urbino &c. con qualſivoglia obbligo eziandio giurato &c., ſieno „ e s'intendano dal giorno d'oggi in poi creati, impoſti, e contratti „ alla ſola ragione di *Scudi quattro per cento, e non più*, come Noi „ in virtù della preſente noſtra Cedola di Noſtro Moto proprio da „ ora in poi li riduciamo, e moderiamo &c.„

II. Heinc colligebant quidam, qui inaudire Theologi volunt, Summum Pontificem definiiſſe ex pecunia mutuatitia licitum eſſe quatuor in centum exigere, atque uſuram moderatam honeſtam eſſe. Facti rumor ad me pervenit: idcirco ineptiſſimum refello ſophiſma. Nulla in Edicto Camerali mutui mentio. Sermo ibi eſt de Cenſibus, & Cam-

& Cambiis celebratis a Communitatibus Pontificiæ Ditionis . De his vero cenſibus, & cambiis nulla mota quæſtio fuit, legitime ne celebrata eſſent, an ſecus: ſed ſuppoſita a Pontifice, ut par erat, eorumdem legitima celebratione , pretium immoderatum a contrahent ibus pactum vetuit,illudque ad quatuor in centum idem Pontifex prudentiſſime reſtrinxit. Cæterum ſi cenſus veri ſint,& legitimi,pretium immoderatum non uſuræ , ſed injuſtitiæ crimen eſt . Peccatum uſuræ foret , ſi cenſus , aut cambia ficta eſſent . Verum hac noſtra tempeſtate ſunt homines non pauci , qui vanitatis fermento inflati , ea diſputanda ſuſcipiunt , quorum ignorant principia , & dum mundanæ gloriolæ fumum conquirunt , ſeræ poſteritati ſe deridendos propinant . Certe in hos apprime quadrat illud Pauli ad Timoth. cap. 1. v. 6. & 7. ajentis : *Quidam aberrantes converſi ſunt in vaniloquium , volentes eſſe Legis Doctores , non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* . Unius naturæ contractum cum alterius naturæ omnino diverſæ contractu aperte confundunt : aut contra ſola vocum diverſitate diverſos efficere contractus ſibi illudunt . Hi ſunt , qui dictitant , *ſe pecunias non mutuo credere , ſed ad lucrum tradere* . Accipere quidquam ex mutuo, inquiunt, ſemper peccatum eſt . Gratuitum quippe mutuum eſt . Sed nos pecunias noſtras *ad lucrum , ad intereſſe tradimus* . Dum lucrum volumus, eo ipſo mutuum nolumus . Has leviculas , atque pueriles argutationes ſupra rejecimus . Oſtenſum ibi eſt , nunquam , his poſitis , extitiſſe fœneratores ; quoniam iſti ſemper lucrum intendunt : & dum lucrum volunt , gratuitum mutuum nolunt . Nunquam ergo uſuræ crimen perpetrabitur .

III. Hæc ſi animadvertiſſet Auctor Operis : *Dell' impiego del danaro* , ſicut alia , quæ in anteceſſum diximus , ſic ea quoque ſilentio præteriiſſet , quæ habet lib. 3. cap. 1. pag. 213 . , ubi in Paſchalem , Literarum Provincialium Auctorem , invehitur his verbis : *L'Autor delle lettere Provinciali vorrebbe attribuire a furberie di parole il poterſi ſecondo molti eſiggere pro , ſenza uſura , poiche dic' egli , per non commettere uſura , baſterà dire , che non ſi hanno quattrini da preſtare , ma bensì da mettere a frutto . Soſiſma però è il ſuo , perche la qualità di tutt' i contratti ſi dichiara con le parole ... E quando una Vedova , cui viene reſtituita la dote ſopra la quale ha da vivere , riſponde , che non può metterla in mano a chi non glie ne paghi oneſto frutto , ne inganna , ne pregiudica a chi ſi ſia , e ſi appoggia a giuſtizia di fatto non di parole* . Duo hic animadvertenda . Primum , ſophiſma iſtud non Paſchalis , ſed P. Baunii eſt , cujus verba Paſchalis refert Epiſt. 8. , ſuntque ſequentia : *Is , a quo mutuo petitur pecu-*

pecunia, ſic reſpondet: non eſt mihi pecunia, quam mutuo dem; eſt tamen, quam licita ratione collocem, ut ex ea legitimum mihi redeat lucrum. Alterum, quod ſophiſma iſtud potiſſimum principium ſit, cui ſyſtema Authoris noſtri innititur, quo ſublato, univerſum illius ſyſtema corruit. Nonne ſingulis fere paginis clamat, homines *non a preſtanza, ma ad intereſſe* locare pecunias ſuas? Et hoc ſophiſma vocat? Sophiſticum ergo ejuſdem ſyſtema. Illud etiam perpendendum Adverſario recordor; nempe hanc illius leviſſimam cavillationem tradendæ pecuniæ non *mutuo*, ſed *ad lucrum* jam ab integro ſæculo invectam a Caſuiſtis, jure ac merito Paſchalem capere, ac deridere tanquam captiunculam non dignam Theologo Chriſtiano. Nihil adverſus argutam Paſchalis irriſionem reponit Interpres *Broederſianus*, niſi quod ſophiſma ſit ejuſdem argumentatio. *Soffiſma però è il ſuo*. Opinio, quam ex Baunio Paſchalis refert, ſophiſma eſt. Argumentatio tamen, quam Paſchalis deridendam propinat, adeo valida ſimulque lepida eſt, ut ejuſdem verba Adverſarius reſcripſerit. Scribit Paſchalis *Epiſt.* 8. *O magnam, inquam, tui, Pater, & pene Magicam iſtorum verborum potentiam?* Reſcribit Author noſter alio in ſenſu *loc. cit. pag.* 210. *Virtù Magica non è per altro da credere venga attribuita a queſta voce* (Mutuo). Hæc delibavi obiter, ut intelligerent quidam Scituli noſtri, nihil in libris ſive *Broederſen*, ſive ejuſdem Itali Interpretis occurrere, niſi meram collectionem eorum quæ aut Calviniſtæ, aut laxiores pauci Caſuiſtæ fuſo calamo ſcripſerant. Neque heinc inferas, me defendere Epiſtolas ad Provincialem. Scio enim proſcriptas eaſdem ab Eccleſia eſſe. Sed non omnia, quæ in eiſdem continentur, materia ſunt damnationis, ut no runt Eruditi omnes.

§. V.

Objecta diluuntur a cenſuum realium, quos Eccleſia probat, paritate arceſſita.

I. Cenſus, quos reales vocant, liciti ſunt, & ab Eccleſia pluribus Conſtitutionibus probati: ergo etiam lucrum ex pecunia mutuo tradita perceptum. Quodnam enim inter utrumque contractum diſcrimen? Non aliud ſane, niſi quod major in illo, quam in hoc ſecuritas, & cautio ſit. Hoc eſt potiſſimum Adverſariorum, Salmaſii, *Broederſen*, aliorumque Aſſeclarum argumentum. Illud fuſo calamo proponit Author: *Dell' impiego dei danaro, lib.* 3. *cap.* 2. *p.* 226.

Perche

Perche mai ha da eſſer lecito il dar danari, e l' eſigger frutto da chi obbliga per eſſi con iſtrumento un fondo, e non ha da eſſer lecito il dargli con oneſta condizione, a chi non ci dà per ſicurezza, che la ſua parola, ed un foglio? Qual effetto fa il cenſo, e qual'è l' eſſenzial differenza fra eſſo, e la Cambial urbana?

II. Satis mirari haud ſubit, hæc ab illis opponi poſſe, qui Catholicam profitentur Religionem. Probat Eccleſia cenſus reales ad ſuarum Conſtitutionem amuſſim celebratos: damnat autem lucrum, ſeu penſionem perceptam ex mutuatione pecuniæ, ſeu ex cambiis ficcis, ſive ex pecunia tradita *ad intereſſe*. Ergo, ſi hi duo contractus abſque ulla diſcriminis ratione idem ſunt, aut errat Eccleſia cenſus reales probando: aut errat uſuras moderatas damnando. Non errat Eccleſia, quæ nec fallere, nec falli valet, cenſus probando, moderataſque uſuras damnando: ergo certum inter utrumque contractum diſcrimen eſt. Et ſane aliam conſequentiam eruere nemo valet ex facta cenſuum paritate, niſi, aut erraſſe Eccleſiam cenſus probando, aut veros cenſus, quos Eccleſia probavit diverſos omnino eſſe a contractu mutui. Siquidem nec ante, nec poſtquam Eccleſia cenſus probavit, dubitatum a Catholicis fuit, an lucrum quodlibet, quantumvis minimum, perceptum ex mutuo eſſet uſura a Deo vetita. Articulus iſte certus ſemper in Eccleſia fuit. Alterutrum ergo neceſſarium eſt: aut erraſſe Eccleſiam cenſus probando, quod dici nequit: aut veros reales cenſus eſſe a contractu mutui omnino diſtinctos. Ergo falſa, & ineptiſſima eſt conſequentia, quam eruunt *Broederſiani*, nempe: liciti ſunt cenſus; ergo & lucrum ex mutuo. At videamus quam ſit utriuſque contractus natura diverſa. Cenſus, quos Eccleſia probat, ſunt contractus emptionis, & venditionis. Materia horum contractuum ſunt fundi frugiferi, in quibus uſus a rei ſubſtantia reipſa diſtinguitur. Mutuationis materia ſunt pecunia, vinum, oleum, triticum, quæ uſu conſumuntur. Non ignoro, hæc a *Broederſianis* deridèri. At deridendos ſe ipſos propinant, dum adverſus octo ſæculorum Eccleſiæ Catholicæ Theologos, Canoniſtas, & Juriſconſultos omnes vexillum erigunt, & claſſicum canunt, ut Calvino, Molinæo, Salmaſio, cæteriſque ejuſdem factionis, qui primi oppoſitos invexere errores, herbam porrigant. Præfati fundi cenſuum cedunt in dominium emptoris, locanturque venditori: adeoque ipſi emptori pereunt. Ergo eidem quoque fructum pariant oportet. Cætera bona in inſtrumento enumerata fundum divenditum contra ſolam evictionem præſervant: idque æquum, juſtumque eſt.

III. Inſtant.

III. Inſtant. Cenſus hodie haudquaquam celebrantur ad præſcriptum legis Eccleſiæ, ſed larva ſunt venditionis, meraque verborum illuſio, vocumque ludus. Sic argumentatur laudatus Author Italus *pag.* 228. *Sienſi veri, e ſecondo la Bolla, in oggi per la gran difficoltà ſopravenute, ... poſſiam quaſi dire, che più non ſi fanno, e molto difficile ſarà che ſi poſſan fare*. Verum habet, quia difficillima nedum difficilis eſt via, quæ ducit ad vitam. Omnes avaritiæ ſtudent: uſura, & dolus ubique fere graſſantur. Sequitur Author. *Veggaſi in grazia negl' inſtrumenti, cui ſi dà tal nome, ſe i fondi ſian veramente idonei, e non anteriormente obbligati. Veggaſi, ſe quel ſolo fondo reſti per le clauſule ipotecato, o ſe reſtino ſottopoſti tutt' i beni generalmente. Veggaſi ſe reſti proibito il poter mai coſtrignere alla francazione. Veggaſi ſe ſi ſon miſurati, e con nuovi confini diſtinti i campi ..... Reſti concordato, che il nome di cenſo per lo più è vano, e non fa altro effetto, che di aſſicurare alquanto più a chi inveſtiſce il capitale, e' l frutto.*

IV. Næc iſthæc valida eſt argumentandi ratio! Cenſus, qui paſſim celebrantur ficti ſunt, vani, larvati. Quin heinc? Iſtos ne probat Eccleſia? Ab homine ratione prædito ejuſmodi prodire argutatio potuit? Cenſus, qui hodie celebrantur, ſunt meri verborum luſus, & cenſuum larvæ: & tamen probatur ab Eccleſia. Ergo eodem jure licite erunt penſiones ex locatione pecuniæ perceptæ. Prima propoſitio falſa eſt. Ergo & ſecunda.

V. Quid? clamitant. Damnabis ne conſuetudinem, moremque univerſalem Catholicorum? Nulli ne erunt tot cenſus, quos morati, probatique homines celebrant? Paucis reſpondeo: aut hi cenſus ſunt contra Eccleſiæ leges, aut ſecus. Si primum, eos damno. Si ſecundum illos probo. Quid ad hæc?

VI. Verum, ne ego piorum etiam hominum mores improbare videar, paucis rem totam expedio. In Cenſu Reali diſtinguenda ſubſtantia eſt, a quibuſdam conditionibus. Ad ejuſdem ſubſtantiam pertinet, quod verus contractus ſit venditionis, & emptionis, quacumque fictione ſublata. Quod fundi, qui ſunt contractus materia, re-ipſa frugiferi ſint, non aliis creditoribus obnoxii, & a quolibet debito exempti. Hæc omnia ſubſtantiam ſpectant. Conditiones ſunt, quod agri, domuſque pars deſignetur; & nonnullæ aliæ clauſulæ, quas S. Pius V. ad avertendos a cenſibus quoſcumque dolos, technas, fictioneſque prudentiſſime adjecit. Hæ conditiones, ubi recepta eſt Piana Conſtitutio, ſervantur, ſecus alibi. Sintne iſtæ conditiones ſubjectæ præſcriptioni, aliorum eſto judicium. Nobis in præſentia

ſat

ſat eſt cenſus, quos Eccleſia adprobat, veros, germanoſque eſſe contractus emptionis, & venditionis fundorum, qui ſuapte natura fructus pariunt. Porro cenſus iſti toto cœlo differunt a mutuatitiæ pecuniæ contractu. Inanis ergo, & prorſus futilis eſt cenſuum paritas. Idque ſenſibus, nedum ratione percipitur. Nonne vinum oleum, pecunia, triticum uſu conſumuntur? Hoc ne in agris evenit? Fundi ſemper iidem remanent, fructuſque pariunt. Pecunia ob ſolam commutationem in aliam mercem, fæcunda evadit. Ergo tanta diverſitas eſt inter cenſum realem, & mutuum, quanta eſt inter fæcunditatem agri, & fæcunditatem pecuniæ. Ager cultus fructus parit, quin deſtruatur. Pecunia, ut fæcunda evadat, in aliam commutari mercem debet; atque adeo moraliter hæc deſtruitur. Ergo toto cœlo differunt hi duo contractus. Inanis ergo, & prorſus futilis eſt cenſuum paritas. Ne multa. Omnes ſapientes Juris conſulti, omnes Theologi, omnes Canoniſtæ, immo omnes Ethnici Philoſophi, quæ hactenus dixi, probarunt. S. Joannes Chryſoſtomus, ſive Author Operis imperfecti, ut oſtendimus, diſcrimen inter cenſum, & mutuum perhibet. S. Thomas locationem domi a locatione pecuniæ diſtinguit. Nunc vero pauci Juniores cum Hæreticorum manipulo vultum erigere & frontem audent adverſus omnium ſæculorum ſapientes? Cæterum praxis illa fere univerſalis, quæ pios etiam, proboſque viros interdum comprehendit, illuſio eſt graviſſima, quæ iis fucum facere poteſt, qui Evangelium ignorant: ſecus illis, quos non latet, paucos eſſe electos, plurimos vero, qui rerum terrenarum cupiditatibus poſſidentur. Ego cæteros non damno, ſed nullum cenſum iniri aſſentirer, niſi Eccleſiæ legibus ſervatis. Ineptum, meticuloſumque hominem me mundus habeat; dummodo, quæ Eccleſia præſcribit, obſervem. Cenſus iſti primum cautione ſumma invecti ſunt. Poſt ſeveras ad eorumdem æquitatem ſervandam clauſulas adjecit Eccleſia. Duplicis generis hoſtes contra pugnant. Alii clamant altum apud antiquos de his cenſibus ſilentium: alii incommoda graviſſima eoſdem parere, ſi juxta formulas ab Eccleſia præſcriptas celebrentur. Qui audiendi? Quibus parendum in tam gravi negotio? Mundus totus turbaretur, inquis, ſi cenſuum conſuetudo, quæ obtinet fere ubique, improbaretur. Itane vero? Hæc potiſſima eſt laxatæ Theologiæ origo. Non amplius mores ad leges, ſed leges ad mores conformantur. Conſuetudo paſſim obtinet, ſexto ſeptimoque Decalogi mandato recte, aut oblique adverſa. Chriſtiani ſupra infimam conditionem paullulum elati otio diſluunt, ludis, conviviis, theatris, mulierum familiari converſationi dediti ſunt.

Eleemoſynas, precum ſtudium negligunt, & ſupra ſtatus, & patrimonii conditionem impenſas faciunt. Mercatorum diſpendio luxum, pompas, ambitionemque fovent: operariorum debita ſolvere omittunt. Chriſtiani iſti non impii, non ſceleſti ſunt; ſed communiter Sacramenta frequentant, ſacra celebrant, ſuos Theologos, Confeſſarioſque habent. Si illorum mores ad Evangelicæ legis normam conformare velis, turbatur mundus, phanaticus inaudis, rem impoſſibilem factu expoſcis. Rectiſſime. Abolendum ergo Evangelium? Detorquendæ leges ad hominum mores? Hæc obiter, ut pateat laudatæ paritatis a mundi praxi repetitæ futilitas.

§. VI.

Alia reſolvuntur objecta, a jure repetita naturali, vi cujus improbatæ moderatæ uſuræ non videntur.

I. Nulla adduci naturalis ratio poteſt, quæ moderatæ uſuræ iniquitatem manifeſte evincat, clamant uſurarum Patroni. Antequam ultra provehor, lubet nonnulla de more in hunc finem reſcribere ex Authore: *Dell' impiego del danaro*, qui *lib. 3. cap. pag.* 191. *& ſeq.* hæc ſcribit. *L' autorità, come abbiam veduto ſta certamente per noi.... Ragioni grandi certamente ci vorranno per eſcludere un uſo, di cui tanto abbiſogna la vita civile, e la ſocietà. Gli Autori fioriti ne' baſſi e proſſimi tempi con acuto ingegno ſottili argumenti ſpecularono per provar giuſta, e ragionevole quell' opinione, che* EQUVOCANDO *ſuppoſero derivare dalle ſcritture.* Confirmat hic Author, quæ aliis in locis pluries ſcribit, videlicet mutatum eſſe in Eccleſia ſeculo XIII. de fœnore doctrinam. Scilicet iſtius ætatis Authores, nempe Belluacenſis, Raymundus, Thomas, Alenſis, Albertus, Bonaventura, Scotus Patrum prioris ætatis doctrinam ignorarunt. Alexander III., Urbanus III., Innocentius III., Gregorius IX., Clemens V., Martinus V., Leo X., Pius V., Sixtus V., Alexander VII., Innocentius XI., qui eadem omnino, ac cæteri laudati Theologi, doctrinam docent, Scripturarum, & Patrum antiquorum doctrinam minime calluere; opinionemque illam, quæ quamcumque vel moderatiſſimam uſuram damnat, verborum illuſione decepti crediderunt a Scriptura ſancta proficiſci. *Equivocando ſuppoſero derivar dalla Scrittura.* Genuina Divina Verbi intelligentia latuit Aquinatem, Angelica præditum mente, qui dies, noctesque preces juges Deo fundebat, ut ejuſdem ſinceram aſſequeretur cognitionem: latuit

tuit Bonaventuram , Raymundum , Alexandrum , Innocentium , cæteroſque Eccleſiæ Doctores : Vera Arcani intelligentia homini reſervata fuit , qui numquam controverſiæ huic ſtuduerat , qui adverſus ſui Epiſcopi , & Cleri Doctrinam claſſicum canit . Tam aſpera ne oratione uteris ? Quid ? Surda ne aure omnium poſterioris ætatis Doctorum contemptionem, a novo Theologo repente nato audiemus ?

II. Sed perſequamur adverſarii argumentationem , Pergit itaque laudatus Author . *Pretendono di ſtabilir con la prima , che qualunque intereſſe ſopra danaro altri prenda , pecchi contra la legge di natura . Strana ſembra ſubito così fatta aſſerzione .... Adducono per fondamento , che la moneta non germoglia , ſiccome per ſua natura ſterile, ad infruttifera .... Da tale conſiderazione è nato il mirabile moderno aſſioma , che danaro non dee far danaro .... Col nuovo raziocinio degli Avverſarj ſi potrebbe pretendere , che dica bugia , chi dice di ricavar cento ſcudi dalla ſua poſſeſſione , perche la poſſeſſione non produce ſcudi , ma grani , ed uve . Queſti ſono giuochi di parole .... Non va conſiderata la moneta come metallo giacente in una caſſa , ma come capitale utilmente impiegato . Come iſtrumento del negozio non è più ſterile , anzi nulla c' è di più fruttuoſo al Mondo .... La moneta non partoriſce , come terreno non partoriſce Terreno ..... Penſier così ſtraordinario in que' tempi , quando tutto ſi cercava in Ariſtotele , da Ariſtotele in parte fu derivato .... Non ci ſarà certamente chi nieghi poterſi allogare , e ricavar denari da un ſito nella piazza opportuno per chi vende , da un Palchetto in qualche ſpettacolo , da una ſedia in qualche funzione .... E' dunque mero ſcherzo di parole , e che appunto per iſcherzo parrebbe addotto il dire , che la moneta non poſſa renderſi fruttante , perche non fruttifica da ſe .*

III. Hæ ſunt captiunculæ , quibus non repugnare naturæ juri moderatum fœnus oſtendunt . Verborum ludum appellant pecuniæ ſterilitatem , cum ante Molinæum , cæteroſque Calvinianos , & *Broederſianos* , a quibus omnia tranſcripſit Author noſter , nemo talem ſterilitatem negavit . Ut tamen ſophiſmatis vanitas pateat , duo ſunt fœcunditatis genera diſtinguenda . Alterum productionis, ſeu generationis plantarum , agrorumque proprium . Agri , plantæ , res natura ſua fœcundæ ſunt . Ut hos præ aliis fructibus pariant , induſtria humana opus eſt . Itaque agri ipſi exculti pariunt : idcirco in eiſdem uſus rei , a Dominio diſtinguitur : & hoc retento , ille locari jure poteſt . Pecuniæ quavis humana induſtria excultæ ſeipſis nunquam pariunt ; ſed ſemper ſteriles remanent , donec moraliter deſtruantur . Fœcundi nummi evadunt utique , ſed qua ratione ? Media commu-

tatione. Planum igitur eſt agrorum fœcunditatem, a fœcunditate pecuniæ diverſam eſſe. Quæ evidens, & manifeſta diverſitas id efficit, quod in agris dominium rei ab ejuſdem uſu optime diſtinguatur: ſecus in pecunia. Uſu hæc conſumitur, quatenus in aliam commutatur mercem: Ergo qui uſum pecuniæ tradit, ejuſdem quoque dominium tradat oportet. Nequit ergo ejuſdem uſus locari, retento dominio, ſicuti agrorum, plantarum, domorumque uſus locatur. Heinc eſt, quod ſi locatarii domorum, agrorum, equorumque hæc bona alienent, locatores ubicumque eadem inveniant, repetere jure valent. Contra evenit in pecuniis a mutuatariis in alias merces diſtractis. Etiamſi mutuatores eaſdem pecunias dignoſcerent, earumdemque, ut ajunt, *identitatem* digito oſtendere certo poſſent, nullum propterea jus repetendi, ſibique vendicandi haberent. Poſita hac evidenti diverſitate ſenſui communi manifeſta, & ab univerſo humano genere, ante Calviniſtas, approbata, confirmataque, quis eſt, qui non ſentiat, quam vana, quam ridicularia ſint, quæ ex adverſario retulimus.

IV. Verum quoniam adverſariorum argumentatio eo ſpectat, ut evincatur nulla lege moderatam uſuram vetari, aliam *Broederſianorum* ab ea elicitam argumentationem habeto. Sic itaque ajunt: Chriſtus in Evangelio ea dumtaxat prohibet, quæ ſunt jure naturæ vetita. Nulla evidendi ratione demonſtrari poteſt, moderatum fœnus eſſe lege naturæ vetitum. Ergo demonſtrari pariter nequit vetitum eſſe jure Divino. *In Evangelio*, *Broederſen* inquit *lib.* 4. *c.* 2., *nihil circa contractus*, *& commercia terreſtria præſcribitur*, *quod juris naturæ non eſt*. Idque fuſe demonſtrare conatur. Porro *lib.* 2. ſtatuit, nulla naturali lege moderatas uſuras a mercatoribus perceptas vetitas eſſe.

V. Nemo inficias iverit, Chriſtum Dominum in Evangelio potuiſſe uſuras prohibere, etiamſi legi naturali non adverſarentur. Neque de hoc controverſia eſſe poteſt. Pariter Patres, & Theologi communiter docent, Chriſtum Dominum uſuras omnes vetaſſe, tamquam naturali legi oppoſitas. Fallacia argumentationis propoſitæ in hac ſita eſt propoſitione: „ Nulla evidenti demonſtrari ratione poteſt, uſuras moderatas eſſe lege naturæ vetitas.„ Fac rem ita ſe habere. Quid inde? Ergo non ſunt jure naturæ interdictæ? Evidenti ne demonſtratione evinceres, legi naturæ repugnare uxorum in aliquo caſu graviſſimo pluralitatem, Matrimonii indiſſolubilitatem, conſentiente utraque parte; ſicuti in aliquo pariter caſu fornicationem, & mendacium. Plura certe ſunt lege naturæ vetita, quæ evidenter demonſtrari nequeunt ſic eſſe vetita. Quamquam igitur evidenter probari

non poſſit, uſuras præfatas legi naturali repugnare, non propterea inferri jure valet, non eſſe reapſe lege naturali vetitas.

VI. Ne tamen Adverſarii noſtram ſententiam rationibus ab ipſa natura repetitis deſtitutam eſſe inclament, lubet paucis ea perſtringere, quæ produci a nonnullis Theologis ſolent, ut oſtendatur, uſuram legi naturæ adverſari. Duo rationum genera hi afferunt, quibus probant uſuram jure naturæ vetitam eſſe: alterum ab auctoritate; alterum ab ejuſdem naturæ principiis petitum. Et ut de primo pauca dicam, Prophetæ Domini uſuram improbant, ut rem *injuſtam*, & *iniquam*. Eadem phraſi loquuntur Patres. *Lex prohibet* (inquit Clemens Alexandrinus *lib.* 2. ſtromat.) *fratri fœnerari*, INIQUUM *cenſens*, *ut e pecuniis uſuras colligamus*. Lactantius *lib.* 6. *Inſtitut. c.* 18. *Plus accipere*, *quam dederis*, INIQUUM *eſt*. Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, cæterique Patres omnes, tanquam juſtitiæ commutantis violatricem, quamlibet uſuram deteſtantur. S. Thomas (quem omnibus Junioribus uſurarum Patronis in Scripturarum, Patrumque SS. cognitione, quis non præferat?) definit 2. 2. *quæſt.* 77. *a.* 1. *Accipere uſuram pro pecunia mutuata*, *eſt* SECUNDUM SE INJUSTUM.

VII. Reponit Nicolaus *Broederſen lib.* 2. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 154. vocem *iniquum* ſumi ab Auctoribus pro improbo, licet juſtitiam commutantem non violet. Sed gratis hoc aſſerit, nullaque ratione evincit. Subdit S. Thomam uſuram ſpectare ſejunctam a circumſtantiis · Verum habet. Quid inde? Circumſtantiæ ſolum efficere queunt, ut lucrum, quod abſolute eſſet fœnebre, ob titulum ſuperveniens fœnebre non ſit. Cæterum uſura, quæ ſecundum ſe injuſta eſt, nulla circumſtantia effici juſta valet.

VIII. Accedit Theologorum, Canoniſtarum, & Juris conſultorum auctoritas. Hi omnes jure naturæ vetitam communiter aſſerunt. Præterea ſi lege naturæ uſura licita eſſet, Eccleſia minime in Judæis illam damnaret, nec eos ad reſtitutionem cogeret. Quid, quod & ipſi Ethnici Doctores uſuram omnem improbant. Plato *lib.* 51. *de legibus*. *Nemini mutuum dare ad fœnus licito*: *ei*, *qui ſecus faxit*, *neque fœnus*, *neque ſors redditor*. Ariſtoteles *lib.* 1. *Polit. c.* 7. *Optima ratione* OMNIBUS *odio eſt ars fœneratrix*, *quod ab ipſo mutuo quæſtus fiat*. Seneca *lib.* 2. *de benefic. c.* 10. *Quid eſt fœnus*, *& Calendarium*, *& uſura*, *niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina contraria naturæ*. Quid quod ipſa Reſpublica Romana ſub initium ſui Regiminis ſeverius præ fure fœneratorem puniebat. *Si quis unciario fœnore fœneratus ſit*, *quadruptione luito*. Quare Cato

de re

de re ruſtica *lib.* 1. ſcribit: *Majores noſtri ſic habuerunt, & legibus poſuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli*. Effugium *Broederſen* ad uſuras opprimentes futile eſt. Nam de fœnore unciario ſermo eſt, ſeu de centeſima, quæ certe moderata tum uſura erat.

IX. Hæc Theologorum, Canoniſtarum, Juriſconſultorum, atque ipſorum Gentilium unanimis adverſus uſuram conſenſio, nulla facta ſive pauperum, ſive divitum diſtinctione, nonne prævalet omnibus ratiunculis, quas obtrudunt uſurarum Patroni? Quid, quod communis humani generis vox uſuram deteſtatur? Quis eſt, qui fœnerator, qui uſurarius inaudire velit? Profeſſio fœneratorum apud omnes cultas nationes dedecus, & infamiam præfert. Si jure naturæ uſura licita eſſet, infamis ne haberetur ejuſdem profeſſio?

X. De altero rationum genere nonnulla delibabo. In mutuo tranſfertur dominium rei mutuatitiæ in accipientem. Atqui exigere pretium uſus rei alienæ injuſtum eſt, naturæque repugnat. Ergo uſura legi naturæ opponitur. Prima propoſitio ſupra demonſtrata eſt, eamque docent omnes ad unum Theologi, Juriſconſulti, & Canoniſtæ. Singulas propoſitiones in diſcrimen adducit *Broederſen lib.* 2. *p.* 2. *cap.* 7. Et primum negat uſuram eſſe lucrum ex mutuo. Quem errorem alibi confutavimus. Negat in mutatione transferri plenum dominium, quod tantumdem reddere debeat, qui accipit pecuniam. Sed etiam agri emptor pactum pretium tempore conſtituto reddere debet: ergo agri empti non habet dominium? Paulus mutuatarius pecunia accepta emit a Petro equum: Petrus habet ne perfectum dominium pecuniæ, quam in pretium divenditi equi accipit a Paulo? Quis ibit inficias? Unde tale dominium accepit, niſi a Paulo? Tranſtulit ergo Paulus dominium. Habebat ergo illud, cum nemo dare poſſit, quod non habeat.

XI. Ineptiſſimum ſophiſma eſt, quod obtrudit *Broederſen loc. cit. nam.* 239. videlicet, mutuatarium moriturum non poſſe alteri legare pecuniam mutuam, ſi nihil omnino aliud habeat, unde ſolvat mutuatori. Dives fundos habet ſuos: at debita, quibus gravatur, æquant fundos. Hos ſolum creditoribus legare poteſt. Ergo fundorum dominium non habet? Non minus futile eſt aliud exemplum de Monaſterium ingrediente, qui nihil habens, præter ſummam mutuo acceptam, tenetur eam relinquere creditori. Hoc nempe tantum evincit, candidatum hunc debito ſolvendo obnoxium eſſe. Heinc patet nullum hactenus excogitare Adverſarios potuiſſe ſolidum reſponſum, quo vis argumentationis factæ enervetur, atque infringatur.

XII. In-

XII. Inſtauratur propoſita ratio, & majori in lumine collocatur. Adeo verum eſt in mutuo transferri dominium, ut pecunia accepta, fatentibus Adverſariis, ipſi mutuatario pereat, ſecus mutuatori. Res autem Domino ſuo pereunt. Ergo mutuatarius verus eſt Dominus. Negat *Broederſen* pecuniam mutuo acceptam mutuatàrio perire; adducitque exemplum ex Sacra Scriptura de *Aſino*, vel *Bove* commodato. At perperam hoc obtruditur; quoniam de mutuo proprie dicto ſermo eſt; ſecus de commodato. Verum homo iſte religioni ſibi non vertit negare ſolem in meridie lucere. Nonne experientia publica compertum eſt, rem mutuatitiam accipienti perire? Si ſumma mutuatitia naufragio, incendio, rapina, infauſta negotiatione, tota quanta eſt, occidat in nihilum, ſoli accipienti perit. Si vero ejuſdem induſtria lucroſa evadit, lucrum dividendum eſt? Ubinam æquitas? Hoccine naturæ lumen præſcribit? Sed ultra pergamus.

XIII. Omnes Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. evincunt uſuram ex eo juri naturæ repugnare, quod fœnerator eamdem rem bis vendit. Siquidem uſus pecuniæ non diſtinguitur ab ejuſdem proprietate; ergo qui præter pecuniæ ſortem lucrum accipit, bis vendit eamdem rem. *Broederſen* cum non habeat, quid reponat, *cit. lib.* 3. *p.* 2. *c.* 8. *n.* 262. obtrudit Franciſcanorum controverſiam de diſtinctione uſus, & dominii; pluresque Theologos enumerat, qui diſtingui uſum a dominio in præfata cauſa docent. At decipit lectores homo Schiſmaticus, qui modo a Molinæo, & Calviniſtis cæteris; modo a Catholicis ea tranſcribit, quæ obnubilare veritatem queunt. Quis eſt Theologorum, quos ille laudat, qui doceat, uſum pecuniæ, tanquam diſtinctum ab ejuſdem dominio, divendi poſſe? Nemo unus. Omnes laudati a *Broederſen*, docent in mutuo uſum pecuniæ non diſtingui ab ejuſdem proprietate. Ergo *Broederſen* turpiter errat, dum ex diſtinctione uſus a dominio in cauſa Franciſcanorum, infert hanc eamdem diſtinctionem reperiri in contractu mutui. Quod de duobus ſocietatem ineuntibus obtrudit ibidem *num.* 269., quorum unus utitur pecunia, alter dominium habet, ſophiſma eſt ineptum. Venditur ne tunc pecuniæ uſus? Nonne tunc ſocius utitur pecunia, non ut ſua, ſed tanquam capitali communi, quod Domino perit? Tempus proderem, ſi omnia, quæ *Broederſen* conſarcinat, congererem; & numquam eſſet diſputandi finis, ſi vellem garruli vitilitigatoris ineptias quaslibet novis animadverſionibus caſtigare.

XIV. Tandem ipſa mutui natura iniquitatem uſuræ patefacit. Mutuum quippe natura ſua gratuitum eſt. Ergo repugnat naturæ mutui,

tui, quod pretio vendatur. Quid enim naturæ repugnantius, quam ejus ordinem, finemque pervertere? Primam propositionem vel ipsi Adversarii concedunt. Audi Heinecium *de Jur. Nat. & Gent. lib.* I. §. 367. ubi hæc habet: *Quamvis hic contractus* (mutui) *sua natura, non minus, quam commodatum, sit gratuitus: mos tamen, tepescente jam caritate hominum, invaluit, ut creditores sibi præmium aliquod pro sorte concessa a debitoribus stipularentur &c.* Duo hic habemus. Alterum, gratuitum mutuum esse. Alterum, charitatis diminutione, seu ex hominum infirmitate, vel malitia fœnebre illud evadere. Subdit Heinecius §. 348. *Enim vero* (loquitur enim & hic de mutuo) *quum injustum non sit cum aliis res non gratis communicare, sed mercedem aliquam exigere &c.* Pugnantia loquitur homo iste. Gratuitum mutuum est: & ex re gratuita mercedem recipere injustum non est? Injustum ergo non est, naturæ pervertere ordinem? Injustum ergo non est gratuitum amicitiam, gratuitam Dei verbum, & cætera sacra, pacto pretio, vendere? Sed audiant quidam scituli Italiæ nostræ, qui Transalpinorum etiam Hæreticorum libros, ceu Sibylina folia suscipiunt, audiant, inquam, *Heinecii* crassiores antilogias. Fatetur hic Jurisconsultus in mutuo transferri dominium. En illius verba §. 365. *Colligimus mutuum esse alienationem; rerumque creditarum* Dominium *in* Debitorem *omnino transire*. Quid, quod invehitur in Salmasium, quia Jurisconsultos carpit, ob propugnatam in mutuo alienationem. Hæc quippe adjicit in enarratione ad præfata verba Heinecius: *Notum est quos fluctus in simpulo moverit .... Claudius Salmasius, ut Jureconsultos, hanc thesim defendentes ludibrio exponeret. Sed tela ejus ex Jure Civili deprompta, tam fortiter retunderunt, aliaque multo insigniora in illum detorserunt* Wissembachius, *Fabrettus, aliique Viri doctissimi, ut caussa hodie perorata videatur.* Audi nunc eumdem Heinecium §. 368. sic loquentem: *Rectissime inde colligere nobis videmur rectæ rationi in se non repugnare pactum usurarium, cum eo initum, qui ex pecunia NOSTRA lucrum insigne facere potest.* Fateris pecuniam *tuam* alienatam esse: & *Tuam* vocas? Si alienata, quomodo *tua*? Et si *tua* quomodo alienata? An non sunt istæ manifestæ antilogiæ? Alienatam esse pecuniam mutuam, & in creditoris dominium transiisse docent Jurisconsulti, fatente Lutherano nostro. Cum ipso dominio, etiam, inquit *Heinecius cit.* §. 365., *Periculum ad debitorem procul dubio transit*. Porro ex usu rei alienæ pretium repetere, recte rationi non adversatur? Tota summa periculo subjacet solius debitoris: & lucrum commune erit cum creditori, tum debi-

debitori? Qui ergo ſentit commodum, ſentire non debet & onus? Duo heinc colligant *Broederſiani*; eorumque aſſeclæ. Alterum, ipſis Hæreticis fatentibus, rem mutuo creditam alienari, atque in debitoris dominium immigrare. Alterum, inane eſſe eorumdem ratiocinium, quo in hunc modum argutantur: „ Quod utrique parti commodum eſt, vetitum eſſe nequit: uſura moderata utrique parti commoda eſt: ergo licita. „ Major namque propoſitio abſolute falſa eſt. Diſſolutio matrimonii, uxorum pluralitas ſæpe utrique parti commodiſſima eſt; propterea ne licita? Altera propoſitio magis falſa eſt. Si ſumma pecuniæ quocumque eventu aut ſterilis remanet, aut perit, unice debitori perit. Si vero induſtria debitoris lucrum parit; lucrum iſtud dividendum inter partes eſt? Adeo manifeſta injuſtitia hic eſt, ut nulla tergiverſatione eludere illam Adverſarii queant. Obtrudere ſolent, alienari pecuniarum metalla; ſecus quantitatem. Sed hæc nimis inepta ſunt, ut alias dixi. Alienari agrum, domum, equum dicemus, ſecus quantitatem? Ubi in univerſa Juriſprudentia futilis iſtius diſtinctionis veſtigium?

XV. Plura alia rationem momenta adferre poſſem, quæ brevitatis gratia miſſa facio. Quaſdam dumtaxat animadverſiones perſtringam. Et primum Jus Civile in mutuo transferri dominium docet. Qua ſane translatione admiſſa, nullum ſupereſt adverſariis effugium. Reſpondet *Broederſen cit. lib. 3. p. 2. c. 7. n.* 248. his verbis: *Licet magna eſt Juris Civilis Authoritas, non tamen eſt infallibilis.* Aliam reſponſionem præbet n. 247. *Licet Jus Civile ſanciat in mutuo transferri dominium, non ſequitur propterea naturaliter illud transferri, ſed poteſt illa translatio ſolummodo eſſe civilis.* Hæc reſponſa luculenta ſunt argumenta, quæ oppoſitæ ſententiæ falſitatem patefaciunt. Siquidem ideo hæc excogitantur commenta, ut moderata uſura honeſta probetur. Cur enim Jus Civile, ſeu Doctiſſimi Juriſconſulti ſtatuiſſent hanc Dominii translationem in mutuo, ſi mutui natura id non exigeret? Quæ neceſſitas iſtius arbitrariæ translationis? Qui fieri potuiſſet, ut tot ſæculorum Doctiſſimi Viri in eamdem conſpiraſſent ſententiam; niſi naturæ lumen omnibus id præcepiſſet? Et *Broederſen* cum parvo aſſeclarum manipulo univerſæ Juriſconſultorum tum antiquorum, tum juniorium multitudini ſe ſe opponere audet? Sed aliam addo animadverſionem.

XVI. Theologi omnes octo circiter ſæculorum eamdem veritatem communiter docent; nempe in mutuo transferri dominium: Ex hac Dominii translatione legi naturæ repugnare inferunt lucrum ex pecuniæ alienæ uſu perceptum. Quoniam, quæ uſu unico conſumuntur,

muntur, bis venderetur, ſi aliud pro uſu, aliud pro dominio prætium exigeretur. Has rationes ab ipſarum rerum notionibus, & ab ipſa natura repetitas probarunt octo Sæculorum ſapientes unanimi conſenſu. Molinæus primus fuit, qui eas in diſcrimen revocavit. Eumdem ſecuti ſunt Calviniſtæ, & his temporibus *Broederſiani*. Hoc adverſus tot ſæculorum Sapientes apertum bellum, nihil ne audaciæ, & temeritatis redolet? Tanta iſtis frons eſt, ut vultum erigere, calamumque acuere minime vereantur adverſus omnes Catholicæ Religionis Theologos? Porro communi Theologorum conſenſui adverſari, aut hæreſis eſt, aut hæreſim ſapit, inquit Melchior Canus. Accedit, quod minus eſſet hæc oppoſitio audax, ſi idoneis rationum ſaltem coloribus eſſet fucata. Sed quæ opponunt, ut vidimus, ineptiſſima ſunt. Negant transferri dominium, quod mutuator jus habeat ad repetendum tantumdem. Jus iſtud cum ipſo dominio confundunt, diſtinctionemque, quam inter hæc duo ſapientes omnes tum Juriſconſulti, tum Canoniſtæ, & Theologi agnoſcunt, derident ut ſomnium, aut arbitrarium Scholaſticorum commentum. Juxta iſtos *Broederſianos*, Opifices, mercatores, qui Nobilium, & Magnatum creditores ſunt, atque adeo jus habent ad exigenda credita, dominium habent in illorum fundos, & palatia. Negabunt ne *Broederſiani* jus mercenariorum, Opificum, Mercatorum ad mercedem, ad credita exigenda? Si ergo, ut ipſi contendunt, jus ad rem idem eſt, ac rei dominium; præfati creditores dominio reipſa potiuntur in Magnatum, & Nobilium fundos. Hæc autem vel ab ipſis Stoicis riſum extorquent. Omnium tamen rerum notiones pervertunt *Broederſiani*, ut hæreticam doctrinam propugnent. Sed, quod omnem fidem ſuperat, eſt, eos tam fidenter publico imponere, dum ajunt a ſe ſtare S. Thomam, S. Bonaventuram, S. Antoninum, & cæteros primi ſubſellii Theologos, qui noſtram doctrinam acerrime defendunt, & Adverſariorum commenta efficaciter labefactant. Lubet iterum hic reſcribere potiſſimum *Broederſianorum* ſophiſma a ratione petitum, & a D. Thoma jam a quinque ſæculis convulſum. Eſt autem hujuſmodi: *Plus mihi efficitur debitor ille, in quem tranſtuli dominium rei meæ, quam ille, cui ſolum uſum rei meæ conceſſi. Sed in rebus, in quibus non tranſfertur dominium, ſi concedantur ad uſum, licet inde aliquid accipere; ſicut patet in locationibus domorum, equorum, & hujuſmodi. Ergo multo amplius licet mihi accipere ab eo, in quem per mutuum pecuniæ meæ dominium tranſtuli.* Paucis verbis ſophiſma diluit D. Thomas. *Dicendum, quod hoc ipſo, quod dominium pecuniæ meæ transfertur, eſt ratio, quare pro uſu ejus nihil accipere debeam, vel ſperare, quam*

mihi

mihi debitum. Hæc obiter dicta ſint. Cæterum plura me daturum ſpondeo hoc de argumento, atque demonſtraturum, nihil prorſus opponi a *Broederſianis*, uſurarumque Patronis omnibus poſſe, quod in anteceſſum labefactatum non ſit ab uno S. Thoma Aquinate. Nec tamen facto demonſtrationes evidentes, quæ ſolo humano ratiocinio partæ, iniquitatem uſuræ omnibus perſuadeant. Plura ſunt jure naturæ vetita, quæ evidenter ob mentis noſtræ imbecillitatem demonſtrari nequeunt. Cæterum quamvis rationes a naturæ lumine repetitæ vi luculentæ demonſtrationis non fruantur: ea tamen polleant efficacitate, ut ſolidum reſponſum non excipiant. Equidem reſponſum hujuſmodi hactenus non legi. Oppoſitum judicabunt alii, quod diverſa ſint hominum ingenia.

§. VII.

Falſum commentum refellitur; nempe, SS. Patrum tempore conſuetudinem moderati fœnoris 4. aut 6. in centum non obtinuiſſe.

I. Singulis fere paginis inclamat Author Italus Operis: *Dell' impiego del danaro*, SS. Patres ſolas uſuras mordentes, opprimentes, atque immoderatas deteſtari: ſecus moderatas quæ hodie obtinent 4. aut 6. in centum. Cur hoc? Quod tunc temporis omnes uſuræ eſſent immoderatæ, & excedentes juſtum pretium. Moderatæ quippe nondum natæ erant. Pauca ex multis tranſcribo. *Lib.* 2. *c.* 1. *p.* 81., inquit: *Come i Padri Greci altro non riprovarono mai, che le uſure enormi, e le da poveri eſtorte*. Pag. 82. *Per ben intenderli quell' equivoco ſgombrar conviene, da cui queſta diſputa principalmente ſi genera. Parlano dell' uſura de' tempi loro, e di quella, che aveano però dinanzi gli occhi, non d' altra eſſenzialmente diverſa, che all' ora non c' era, e non era nata ..... il dar danari con sì tenue frutto, non s' è introdotto, che da poche età: negli antichi tempi erano ſmiſurate le uſure .... Quinci declamavano i Padri, dell' eceſſo intendendo, e dello ſcarnificar i miſeri: non poſſiam però certamente appropriar i lor detti all' uſo di far pagar a facoltoſi con lor vantaggio, e con lor piacere il quattro per cento.*

II. Mirum eſt, Virum antiquitatis, & priſcarum rerum callentiſſimum hæc ſcriptis mandare potuiſſe. Quod aliqui homines avariſſimi hoc, aut illo tempore, & quolibet ſæculo, qualibet ætate, & hac etiam noſtra immaniſſimas, atque immoderatas uſuras, cum

poſſint, extorqueant, experientia compertum eſt. At de hoc, aut illo privatorum hominum ſcelere, nunc ſermo non eſt. De illis uſuris diſputatur, quæ publicis legibus permittuntur, & quas homines fœneratores exercere publice ſolent. Porro quolibet tempore, etiam vetuſtiſſimo, Principes, & populorum Rectores in fœnora immoderata ipſi naturæ evidentiſſime repugnantia ſeveriſſime animadverterunt. Quolibet tempore Principes leges tulerunt, quibus quantitas fœnoris exigendi præfinita fuit. Leges in medium afferamus, quas Romani, & Imperatores cum Ethnici, tum Chriſtiani pro cohibenda fœneratorum rapacitate, atque cupiditate rogarunt.

III. Et, ut ab antiquiſſimo ipſius Romanæ Reipublicæ tempore initium capiam, hæc ſcribit Livius *lib.* 10. & 35. aliiſque in locis. *Civitas fœnore laborabat, & cum multis fœnebribus legibus conſtricta avaritia eſſet, via fraudis inita erat, ut in ſocios, qui non tenerentur iiſdem legibus, nomina tranſcriberent. Ita libero fœnore obtruebant debitores.* Cornelius Tacitus *lib.* 6. *Annal. ad ann. Urb. conditæ* 786. *Sane Vetus Urbi fœnebre malum, & ſeditionum, diſcordiarumque creberrima cauſa, eoque cohibebatur antiquis quoque, & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim Tabulis ſanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine lucupletum agitaretur. Dein rogatione Tribunitia ad Semiuncias redacta. Poſtremo vetita uſura; multiſque Plebiſcitis obviam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ, miras per artes rurſum oriebantur.* Unciarium fœnus centeſima erat, nempe duodecim in 100, quæ uſura moderata tunc erat. Semiunciarium fœnus ſex in 100 prodit: illudque parvum fœnus erat. Auguſtus fœnus diminuit, ut refert Svetonius in ejus vita, *Nam & invecta Urbi, Alexandrino triumpho, Regia gaza tantam copiam nummariæ rei effecit, ut, fœnore diminuto, plurimum pretiis acceſſerit. Et poſtea, quoties ex damnatorum bonis pecunia ſuperflueret,* uſum ejus gratuitum *iis, qui cavere in duplum poſſent, ad tempus indulſit.* Imperator Antoninus Pius fœnus ad minimam coercuit quantitatem, ut narrat Capitolinus in ejus Vita. *Idem fœnus* Trientarium *hoc eſt minimis uſuris exercuit, ut patrimonio ſuo plurimos juvaret.* Fœnus Trientarium eſt quatuor in centum. Hæc erat minima uſura; centeſima vero commmunis, & moderata. Imperator Alexander Severus fœneratorum centeſimas ad quatuor redegit, ut narrat Lampridius in ejus vita. *Uſuras fœneratorum traxit ad trientes penſiones, etiam pauperibus conſulens.* Si plura aves, conſule Thomaſinum in tractatu *de negot., & uſur.* vulgari ſermone ſcripto. Imperatores Severus, & Antoninus conſtituerunt,

ſtituerunt, ne ex nudo pacto, ſeu ex nuda promiſſione, ſed ſolum ex ſtipulatione, aliquibus exceptis caſibus, uſuræ deberentur, ut patet ex *l.* 3. *cod. de uſur. Quamvis uſuræ fœnebris pecuniæ citra vinculum ſtipulationis peti non poſſint, tamen ex pacti conventione, accepto ferendæ ſunt.* Ubi Gloſſa inquit: *Uſuræ ex promiſſione non debentur, niſi ſtipulanti ſint promiſſæ.* Quoniam, inquiunt Juriſconſulti *l.* 62. *ff. De rei vindicatione*; *Uſura non natura pervenit, ſed jure percipitur*: videlicet, mutui contractus natura ſua gratuitus eſt, & fœnus ultra ſortem eſt contra ejuſdem contractus naturam; ideoque natura ſua injuſtum. Verum quia mutuum judicatum fuit opportunum ad res gerendas, toleratæ uſuræ fuere. Quia vero uſuræ valde odioſæ erant, cautum fuit, ne ex ſimplici conventione, promiſſione, aut pacto repeti poſſent, niſi in contractu ſolemnitas ſtipulationis acceſſiſſet.

IV: Adeo probroſa erat fœneris profeſſio, ut Senatoribus vetita primum fuerit ab Alexandro Severo. Poſt indultum illis fuit, ut ſex, vel, ut contendit Thomaſinus in laudato tractatu, duo in centum dumtaxat iiſdem ſolverentur. Ad hanc animum intendens S Joannes Chryſoſtomus ſic argumentatur *homil.* 56. alias 57. *in Matt. Si velis externos legislatores audire, audies illos id extremæ imprudentiæ eſſe putare. Certe iis, qui dignitates occupant, quique Senatum magnum conſtituunt, non licet hujuſmodi lucro deboneſtari. Sed lex apud illos eſt, quæ id prohibet. Quomodo igitur non horrendum fuerit, ſi non parem cœleſti Civitati honorem tribuas, qualem legislatores Romanorum Senatui tribuunt, ſed minorem cœlo referas, neque te pudeat tantæ turpitudinis?* Duo tantum, vel ad ſummum ſex in centum exigebant Senatores. Uſura iſthæc, tametſi moderatiſſima, iiſdem vitandi majoris mali cauſſa permiſſa interdum fuit. Cæterum vetita illis erat, utpote quæ infamiæ labe eorumdem dignitatem deturpabat. Heinc adverſus fœneratores Chriſtianos amplam argumentandi materiam colligit S. Chryſoſtomus. Hæc ſatis eſſent ad demonſtrandum oppoſitæ aſſertionis falſitatem. Verum nonnulla ex Imperatoribus Chriſtianis adferre etiam lubet.

V. Conſtantinus Imperator pro frugibus mutuo datis immodicam toleravit uſuram, nempe ſeſcuplum, ſic exigente illorum temporum calamitate. Hujus quippe Imperatoris ſubditi majori ex parte Idololatræ erant: vetuit tamen, ne pro pecunia mutuatitia quidquam ultra centeſimam reciperetur. Lex Conſtantini habetur in *Cod. Theod. lib.* 2. *tit.* 43. *l.* 1. & 2. *Pro pecunia ultra ſingulas centeſimas, creditor vetatur accipere.... Quicumque ultra centeſimam lege permiſ-*

ſam

ſam aliquid ſub occaſione neceſſitatis eruerit, quadrupli pœna, & obligatione conſtrictus, ſine ceſſatione, ſine requie protinus ablata redhibebit. Arcadius Imperator, Theodoſii filius, permiſit Senatoribus, iſtorum avaritia ſic poſtulante, medietatem centeſimæ. *Senatoribus ſub medietatem centeſimæ uſuræ ad contractum creditæ pecuniæ cenſemus admitti.* In hanc tolerantiam invehitur Auguſtinus *epiſt.* 153. ubi inquit. *Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſe leges, & judices reddi jubent.* Audiant *Broederſiani*, quod ſequitur: *Hæc, atque ejuſmodi*, MALE *utique poſſidentur ſed non eſt quo judice, repetantur.* Injuſte poſſideri fœnera moderata, immo moderatiſſima, qualia erant ſex, aut quatuor, aut duo in 100., clamat Auguſtinus. Sed judex non erat, qui ad reſtitutionem compelleret.

VI. Juſtinianus Imperator pro coercerdis uſuris leges rogavit *C. de uſur. leg.* 26. Et primum quidem reſpectu nobilium legem tulit. *Ideo jubemus illuſtribus quidem perſonis, ſive eas præcedentibus, minime licere ultra tertiam partem* (quatuor pro centum) *centeſimæ uſurarum nomine in quocumque contractu vili, vel maximo ſtipulari.* Octo pro centum permiſit Mercatoribus, & opificibus. *Illos vero, qui ergaſtariis præſunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, uſque ad beſſem centeſimæ uſurarum nomine in quocumque contractu ſuam ſtipulationem moderari.* Pro communi hominum multitudine ſemiſſem, ſeu ſex in 100. conſtituit. *Cæteros autem omnes homines dimidia tantummodo centeſimæ, uſurarum nomine, poſſe ſtipulari, & eam quantitatem uſurarum etiam in aliis omnibus caſibus nullo modo ampliari, in quibus circa ſtipulationem exigi ſolent. Nec liceat judici memoratam augere taxationem occaſione conſuetudinis in regione obtinentis.* Fœnus trajectitium ad centeſimam reſtrinxit. Reſpectu Agricolarum uſuram pro frugibus ad octavam modii partem; pro pecunia ad quatuor pro 100. coarctavit. Mirum eſt, hæc documenta ita latuiſſe Authorem Operis: *Dell' impiego del danaro*, ut ſcriberet ſingulis paginis, occaſione data, SS. PP. in uſuras tantum immoderatas declamaſſe, uſuraſque moderatas quatuor, aut ſex in centum antiquis temporibus fuiſſe incognitas, & tempore dumtaxat nobis proximo eſſe natas. Hoc profecto ſcribi nequit abſque Principum univerſæ antiquæ, & mediæ ætatis injuria. Quolibet ſiquidem ſæculo Principes uſurarum quantitatem præfiniere.

VII. Porro has uſuras non probatas, ſed permiſſas, ut permittuntur lupanaria, a Juſtiniano, aliiſque Imperatoribus docent Catholici cum S. Thoma 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. Quod confirmat vel ipſe Imperator Leo ſapiens, qui uſuras a Baſilio Patre vetitas ſe permittere declarat

clarat ob humanæ naturæ infirmitatem. Hæc ſunt ejuſdem Leonis verba, quæ habentur in *Novel.* 83. „ Si a ſpiritus legibus ita ſe mor-
„ tale genus regi ſineret, ut humanis præceptis nihil indigeret, id
„ vero & decorum, & ſalutare eſſet. At quoniam ſe ad ſpiritus ſubli-
„ mitatem elevare, *Divinæque legis* vocem amplecti non cujuſque
„ eſt; ac vero quos huc virtus ducat, numero valde pauci ſunt,
„ bene adhuc ſe res haberet, ſi ſaltem ſecundum leges humanas vi-
„ veretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ uſuræ, *ubique a ſpiritus*
„ *Decreto condemnantur*. Id ſciens Pater noſter, æternæ memoriæ
„ Princeps, uſurarum ſolutionem ſanctione ſua prohibendam putavit.
„ Atqui *propter paupertatem* res illa, non in melius (quem tamen
„ finem Legislator ſibi propoſuerat), ſed contra in pejus vergit.
„ Qui enim antea *uſurarum* ſpe, ad *mutuandum pecuniam* prompti
„ fuerant, poſt latam legem, quod nihil lucri ex MUTUO perci-
„ pere poſſint in eos, qui pecuniis indigent, difficiles, atque im-
„ mites ſunt. Quin etiam ad facile jurandum, quod id fere conſe-
„ quitur, ad jusjurandum abnegandum id occaſionem præbuit.
„ Breviter, *propter redundantem in humana vita perverſitatem*, non
„ modo non profuit legi virtus, verum etiam obfuit. Quamquam
„ igitur ex ſe legem culpare (quod quidem etiam abſit) nequeamus,
„ *propterea tamen quod humana natura* (quomodo diximus) *ad illius*
„ *ſublimitatem non perveniat*, egregium illud præſcriptum abroga-
„ mus, & in contrarium ſtatuimus. ut æris alieni uſus *ad uſuras*
„ *procedat*, idque, quomodo veteribus legislatoribus placuit, *ad*
„ TRIENTES *centeſimæ*, nempe quæ quotannis in ſingulos ſolidos
„ ſingulas fœneratoribus ſiliquas pariunt. „

VIII. Leo Sapiens Imperator ſæculo IX. declarat, Patrem ſuum Baſilium, cognomento Macedonem, uſuram vetaſſe, ut Divinæ legi contrariam. *Uſuræ* enim, inquit Leo Sapiens, *ubique a ſpiritus Decreto condemnantur*. Quapropter, ſubdit ille, ſi homines Divinis legibus regi ſe ſinerent, nulla eſſet de legibus controverſia. Verum quia *valde pauci ſunt*, qui *Divinæ legis vocem amplecti* velint, ideo, Patris lege abrogata, uſuras ille permittit, *propter redundantem in humana vita perverſitatem*. Spe quippe lucri, ante Baſilii legem, avari homines mutuas pecunias tradebant indigentibus, Rogata Baſilii lege, a mutuandis pecuniis abſtinuere. Dicant nunc nobis *Broederſiani*: Cur Leo Sapiens non edixit, declaravitque, integra legis Patre manente, pecunias in poſterum non ad *mutuum*, ſed *ad intereſſe* tradendas eſſe? Sed puduiſſet Sapientem Imperatorem tam futilis commenti, tamque puerilis, ineptiſſimæque diſtintiunculæ. Nulli hominum, ante Calvinia-

vinianos, in mentem venere nugæ ſimiles. Colligat etiam ex hac Conſtitutione Author: *Dell' impiego del danaro*, quam aberravit a vero, dum toties ſcripſit, ante proxime elapſum ſæculum numquam obtinuiſſe morem ſolvendi moderatum proventum quatuor pro centum. Siquidem Leo Sapiens ſæculo IX. teſtatur *veteribus Legislatoris placuiſſe* ad TRIENTES *centeſimæ uſuras coercere*. Tandem diſcant *Broederſiani*, atque Calviniani, uſuras permiſiſſe Leonem Imperatorem propter *paupertatem* levandam. Inanis igitur eſt, & ridicularia altera diſtinctiuncula pauperis, & divitis. Quandoquidem ſi moderatæ uſuræ permittendæ forent, potiſſimum ob levandos pauperes permittendæ eſſent. Hactenus illi tamen negarunt licitas eſſe uſuras a pauperibus perceptas; licet nullus dubitem, quin deinceps altera inter eos exoritura ſit fœneratorum ſecta, quæ propugnet licitum eſſe ab iis omnibus uſuras exigi, qui ſolvendo ſint. Qui enim a veritate aberrant, nunquam ſibi conſtant, nec ubi pedem figant, habent. Poſſem poſteriorum Principum cujuſque fere ſæculi decreta adducere, quæ uſurarum moderationem definiunt. Illud ſolum advertendum pro temporum diverſitate quantitatem uſuræ modo majorem, modo minorem præfinitam eſſe. Centeſima tempore Romanorum, *tempore Martini V. duodecima*, quia ex tredecim in centum proventus moderatus erat. Nunc alicubi quatuor, alicubi ſex, alibi octo. Illud penes omnes certum ſemper fuit; nempe quidquid ſive parvum, ſive magnum ſupra ſortem accipiatur, veram uſuram eſſe. Unum dumtaxat poſteriorum temporum documentum affero. Sanctus Ludovicus Francorum Rex hæc de uſuris ſtatuit. *Prohibemus diſtricte, quod nullas uſuras haberi faciant Barones Seneſchalli, vel aliæ quæcumque perſonæ*. USURAM INTELLIGIMUS, QUIDQUID EST ULTRA SORTEM.

IX. Ex his omnibus clare, evidenterque conſtat, Authorem: *Dell'impiego del danaro* lectores fallere qualibet fere pagina, dum ait, antiquis, mediiſque temporibus non obtinuiſſe uſuræ moderatæ conſuetudinem. Hac quippe falſi facti poſitione tanquam certa ab eodem conſtituta, omnes SS. Patrum, Conciliorum, atque ipſius Cathechiſmi Tridentini luculentiſſimas adverſus uſuras ſanctiones, declarationeſque eludit. Ubique enim reponit, Patres, Concilia, Pontifices, deteſtari uſuras, quæ illis temporibus obtinebant. Porro iſtæ, inquit ille, nimiæ, immoderatæ, & excedentes erant, ac diverſæ omnino ab illis, quæ nunc temporis vigent. Hoc iſtius Authoris commentum omnium piorum ætatum Imperatores, Principes, Reſpublicas damnat, tanquam proprii regiminis prævaricatores: Omnes arguit, quod dilaniari a fœneratoribus ſubditos ſuos permiſerint, nullo unquam

quam adhibito remedio, nulla edita lege, qua fœnora ad mo deratam quantitatem reſtringerent: Omnes denique accuſat, quod in commerciis, & mercatura moderandis, a quibus Principatuum opulentiam, & temporaneam felicitatem pendere homines politici ajunt, oſcitantes, cœcique fuerint, ac pœne ſtupidi. Porro quam vigilantes ſemper fuerint Principes in præfinienda uſurarum quantitate, leges, quas indicavi, ſatis ſuperque patefaciunt. Corruit itaque undecumque præcipuum adverſæ opinionis fundamentum.

CAPUT V.

Univerſi Operis Anacephaleoſis. Documentis Cathechiſmi Romani, atque Epiſcoporum Bragadeni *Veronenſis*, *&* Boſſueti *Meldenſis*, *exprobantis* Richardo Simonio *conſtantem Conciliorum, Romanorum Pontificum, Patrum, Interpretum, & Eccleſiæ Romanæ Traditionem adverſus Uſuram*, Broederſiani *ad incitas rediguntur; & Commentarius abſolvitur.*

I. TOta diſputatio noſtra præcipue in exponendis, ornandiſque omni argumentorum genere Decretalis Pontificiæ articulis verſata eſt. Mutuationis, & fœnoris naturæ ſincero penicillo depictæ ſunt, fuco poſito. Calviniſtarum inventa, Janſeniſtarum quorumdam artificia labefactavi. Doli, fraudes, captiunculæ, quibus circumveniri adverſus fœnora leges ſolent, convulſa penitus remanent. Latius, quam par erat, diſputatum a nobis eſſe, ut media in luce duas poneremus mutui, fœnoriſque notiones, dicturi aliqui forte ſunt. At falli iſtos intelligent omnes, quos non latet, mutui, uſuræque naturas potiſſimum in diſcrimen adductas eſſe; eoque adverſariorum conatus omnes præcipue ſpectare, ut ejuſdem mutuationis, fœnoriſque imaginem adulterent, confictiſque pro ingenio coloribus obducant. Quare opus fuit errantes perſequi, illorum ultimos adire receſſus, cavillos retundere, technas reſerare, ut Catholicam veritatem in tuto collocarem. Finitionibus mutui, uſuræque pleno in lumine poſitis dogma Catholicum adverſus uſuram hoc pacto confirmavi: Articulus fidei eſt dari præceptum, quod uſuræ

 ſcelus

ſcelus interdicit. Quod ſcelus uſuræ diſtinctum peccatum eſt, ſuamque peculiarem naturam habet, quemadmodum cætera omnia peccata. In hoc æque Calviniſtæ, Lutherani, Janſeniani, ac Catholici conveniunt. Porro illa ipſa Eccleſia, quæ nobis hoc dogma credendum, exequendumque proponit, ejuſdem veram, nitidamque ideam, ac notionem perhibet. Hanc veritatem Catholicorum nemo inficiari audet. Id patet in cæteris aliis articulis. Omnes qui Chriſti Evangelium profitentur, credunt Trinitatem, Incarnationem, Euchariſtiam &c. At quia Ariani, Neſtoriani, Lutherani, Calviniſtæ præfatos articulos in ſenſu Eccleſiæ Romanæ non credunt; idcirco hæretici ſunt. Ob hanc ipſam rationem hæretica eſt eorum de fœnore doctrina, quæ uſuræ crimen fatetur quidem, ſed in ſenſu ab eo, quem Eccleſia Romana perhibet, omnino diverſo. Illi quippe ſolum uſuram mordentem, ſeu immoderatam, opprimentemque pauperes pro peccato habent: ſecus moderatam, & a divitibus perceptam. Eccleſia Romana e contrario uſuram omnem, quantumlibet parvam, non ſecus ac furtum, ut peccatum deteſtatur, nulla, ſive pauperum, ſive divitum diſtinctione facta. Quodcumque ſupra ſortem accipiatur, ſive parvum, ſive magnum, propter mutuationis officium, uſura eſt. Hæc eſt vera, & unica uſuræ notio, quam nobis Eccleſia præbuit a lege Moſaica condita ad hæc uſque tempora. In hujus propoſitionis confirmationem Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Pontificum, Theologorumque teſtimonia in medium attuli. Provocavi, & iterum provoco Adverſarios *Broederſianos*, ut oſtendant nobis diverſam uſuræ ideam, quam Eccleſia perhibet. Nulla hic ad effugium via patet. Præceptum uſuræ in innumeris fere Conciliis diſcuſſum, explicatumque eſt: plurimæque ſunt Decretales conditæ, & quatuor proſcriptæ ſuper hoc peccato theſes. Alterutrum ergo præſtent adverſarii oportet: videlicet, aut confiteri uſuræ finitionem, quam deſcripſi, latam eſſe ab Eccleſia: aut aliam diverſam, quam Eccleſia in aliquo aut Concilio, aut Cathechiſmo perhibeat, deſignare. Nullus hic tergiverſationi locus. Aut, quam retuli, probent: aut oppoſitam ab Eccleſia datam oſtendant. Definitio, quam nos retulimus a Moyſe, ab Ezechiele, a Patribus omnibus datam eſſe, palam in hoc Commentario feci.

II. Nunc tria alia Documenta affero in eorum, quæ dixi, confirmationem. Primum eſt Cathechiſmi Tridentini *p.* 3. *n.* 18. ajentis: *Eſt autem uſura quidquid præter ſortem, & caput illud, quod datum eſt, accipitur*. Hæc uſuræ finitio eſt. Effecta, malaque, quæ in pauperes potiſſimum (quia iſti frequentius mutuas pecunias inquirunt) uſura induci.

ducit, Cathechiſmus Romanus exponit. Idque cætera Concilia præſtant. Si licita cum divitibus uſura eſſet, decepiſſet Eccleſia fideles, niſi id declaraſſet. Homicidium vetitum abſolute eſt: at quia in bello juſto, vel authoritate publica factum, licitum eſt, id declaravit Eccleſia. Licita eſt uſura moderata a divitibus, a mercatoribus percepta? Et nunquam id declaravit Eccleſia? Quin ſemper abſolute, nullaque perſonarum, ſive divitum, ſive pauperum diſtinctione adhibita, uſuram quamlibet, & a quocumque exactam improbavit? Ergo Author Operis: *Dell' impiego del danaro*, qui oppoſitum docet, aut Eccleſiam ipſam accuſet neceſſum eſt, ac ſi in explicando dogmate adverſus uſuram defeciſſet muneri ſuo, veritatemque fidelibus neceſſario manifeſtandam ſiluiſſet; aut ſuum præfatum librum, in quo a capite ad calcem uſura moderata a mercatoribus, divitibuſque percepta defenditur, omnino retractet oportet.

III. Alterum documentum, quo vera uſuræ notio proditur, tranſcribo ex *Doctrina Chriſtiana*, quam Illuſtriſſimus D. Bragadenus Epiſcopus Veronenſis edidit anno 1742., ut Gregem ſibi a Deo commiſſum imbueret, & ab erroribus, quos ſeri ab aliquibus in hac de uſura controverſia inaudierat, immunem ſervaret. Hæc autem habentur in explicatione ſeptimi mandati Decalogi. *M. Vorrei ſentire ſpiegato quel nome di uſura. D. Il Bellarmino nella ſeconda parte lo ſpiega con queſte parole* -- Le uſure le quali ſi fanno preſtando danari con patto, che ſi rendano con tanto di più --: *E ciò, che del danaro egli dice, s' intende anche di tutte quelle altre coſe, le quali ſi danno ad altrui con l' obbligo di farne poi la reſtituzione, non già con quelle medeſime, ma con altre equivalenti: che è quel contratto, il qual ſi dice Mutuo, e con più conoſciuto nome* preſtanza, *o ſia* preſtito, *ne altro può mai eſſere, quantunque con altro nome ſi chiami. E quel* tanto di più, *nel qual conſiſte l' uſura, non vuole dir ciò, che i più avari eſigono di più del ſolito, ma ogni* MINIMA *coſa, che ſi prenda di più del capitale preſtato. M. Se tutto queſto è vero, quelle coſe adunque grandi, o picciole, che per tali contratti alcuno riceve più del ſuo capitale, non ſaranno veramente* Pro, o Frutti, *come ſoglion chiamarſi, ma tante uſure. D. Tante uſure e non mai altro ſaranno allor appunto, quando ſi ricevano come frutti, e pro delle coſe preſtate. Ma non così* quando ſi ricevano per qualche titolo, o riſarcimento, il quale ſia giuſto, *e con giuſta ſtima taſſato, reale, e non ſuppoſto, ne ſia comune, cioè di quelli, che in tutte le preſtanze ordinariamente ſi troverebbero. Senza le quali condizioni con frode, e diſtruzion della legge, ſi verrebbe a far comparir impoſſibile, o almeno rariſſimo un peccato,*

che dalla Scrittura, e da' Santi Padri fu ſempre deteſtato, come uno de più facili, e de' più frequenti. Epiſcopos poſuit Deus regere Eccleſiam ſuam, iiſdemque pro tanto ſuſtinendo onere ſingulare infundit lumen. Iſtorum libri Doctrinales, ſeu *Doctrinæ Chriſtianæ*, magnæ ſunt Authoritatis. Quoties ab his doctrinis recedunt libri Caſuiſtarum, plerumque nihili faciendi ſunt: arcendique ab excipiendis fidelium Confeſſionibus Sacerdotes illi, qui propriæ Eccleſiæ doctrinam parvi faciunt, ut opinationibus laxiorum Caſuiſtarum adhæreant. Quid, quod laudata Epiſcopi Veronenſis *Doctrina* Cl. Virorum ſuffragiis, ſevero præmiſſo examine, Romæ adprobata fuit? Aliorum Epiſcoporum *Doctrinæ* hoc idem de uſura docent.

IV. Tertium documentum ſumptum eſt ex ſecunda *Inſtructione* Paſtorali Illmi Domini Jacobi Benigni BOSSUET, Epiſcopi Meldenſis in Opus inſcriptum: *Le Nouveau Teſtament de N.S.J.C. traduit &c. avec des Remarques &c.* impreſſum Trevoltii 1702. Porro adverſus animadverſionem Galli Interpretis, qui eſt Richardus Simonius, in illud Luc. 6.v.35. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, hæc ſcribit Epiſcopus Meldenſis .„ La tradition conſtante des Conciles a commencer „ par les plus anciens, celle des Papes, des Peres, des interpretes, & „ de l' Egliſe Romaine, eſt d'interpreter CE VERSET comme proi„ bitif, du profit, qu' on tire du prêt; *inde*: c' eſt-a dire, de „ l' uſure. L' Auteur a prefèré à cette tradition la Doctrine de Gro„ tius, dont il a compoſé ſa Note, & qui eſt faite expreſſément „ pour éluder cette prohibition, & pour ôter a' l' Egliſe LE SEUL „ PASSAGE du Nouveau Teſtament, oû le crime de l' uſure eſt „ prohibé. Ce critique, non plus que le nôtre, n' allégue aucun „ Pere, *ni aucun Auteur Catholique*: Tout lui eſt contraire; il ſe „ fonde *ſur ſon ſeul raiſonnement*, mauvais garant, de l' interpreta„ tion des Ecritures. Il faut donc rejetter la Note ſur ce verſet, & „ par le même mojen ſupprimer le *Deſperantes*, qui auſſi bien, de „ l' aveu de l'Auteur, répugne a la ſuite du diſcours, & ne ſert qu' a „ donner des vues pour obſcurcir le veritable ſens de ce paſſage. Il n'y „ a deja que trop de relâchement ſur cette partie de la Morale Chré„ tienne, & l'uſure n'eſt que trop commune, ſans ancore l'authoriſer „ par des Notes ſur le Nouveau Teſtament, qu'on met entre les mains „ de tout le Monde.„ Graviſſimum Viri Cl. documentum latine ſic verto. *Conſtans Conciliorum traditio, ab antiquioribus arceſſita, illa Pontificum Romanorum, Patrum, Interpretum, Eccleſiæque Romanæ eſt, hunc verſiculum explicandum eſſe, ut prohibentem lucrum, quod percipitur ex mutuo*, inde, *hoc eſt ex uſura. Huic tradi-*

traditioni Auctor (Simonius) *prætulit Grotii doctrinam, unde ſuam conflavit notationem, quæ eo conſilio facta eſt, ut hanc prohibitionem eluderet, utque Eccleſiæ unum illum Novi Teſtamenti locum eriperet, in quo uſuræ crimen prohibetur. Cenſor ille* (Grotius) *non magis, quam hic noſter* (Simonius) *neque Patrem ullum dicti ſui teſtem appellat, neque ullum Scriptorem Catholicum. Quidquid horum eſt, illi eſt adverſarium. Uno ſuo ille nititur ratiocinio, interpretationis Scripturarum vade malo. Oportet igitur, ut in hunc verſiculum adnotatio rejiciatur, utque eodem modo deleatur vox* deſperantes, *quæ perinde, ut idem Auctor fatetur, repugnat ſeriei, colligationique orationis, neque ullius eſt uſus, niſi ut ſenſum hujuſce loci implicet, reddatque obſcurum. Nimium hæc pars Moralis Chriſtianæ vitiata eſt, & uſura latius graſſatur, quin ſit opus eam in Novum Teſtamentum adnotationibus confirmare, quæ omnium terantur manibus.*

V. Doctiſſimum Epiſcopum BOSSUETUM de Gallia, deque univerſa Eccleſia optime meritum venerantur omnes. In tanti ergo Viri doctrinam oculos, animumque convertant tum illi, qui in aliis controverſiis verborum apices cavillantur; tum alii, qui ſcribere non erubeſcunt, vix Antiquorum aliquem præfatum Lucæ textum uſurpaſſe, ut interdictam a Chriſto Domino uſuram evinceret. Author Operis: *Dell' impiego del danaro* integrum Caput IV. lib. I. inſumit, ut demonſtret Textum hunc ne oblique quidem fœnus prohibere, aut reſpicere. *Non tratta egli quivi per ombra del preſtar con uſura, o ſenza* pag. 38.... *Come mai ſi fa entrar quì, e da che mai ſi ricava un precetto generale di non dare a niuno ſomme di danaro con frutto*: pag. 39. *Egli è indubitato, che ſiccome in oggi, e dopo che tali parole nel moderno ſenſo s' incominciarono a intendere, non c' è ſtato, e non c' è chi contra ogni prò favelli, e non lo metta ſubito innanzi, o non ne faccia il ſuo primo Achille: così ſarebbe ſenza dubbio avvenuto ne' tempi antichi, ſe foſſero all' ora ſtate inteſe all' iſteſſo modo*. pag. 47. Porro ſubdit, majorem Antiquorum partem hunc textum neglexiſſe. Doctrinæ inſuper variationem in Eccleſia eveniſſe in hac controverſia hic quoque improperat, dum ait: *Dopo che tali parole nel moderno ſenſo s' incominciarono a intendere*. Audiſtin? Doctrina *Moderna* eſt, quæ fœnus ab Evangeliſta Luca vetari aſſerit. Verum doctiſſimus *Boſſuetus* ejuſmodi commenta refellit, tanquam perpetuæ Eccleſiæ Romanæ Traditioni adverſa. Richardus Simonius cum Grotio, cæteriſque Proteſtantibus Evangelicum Textum in ſuis Adnotationibus cavillatur. Exprobrat tamen eidem *Boſſuetus*, quod hæretici hominis interpretamentum Eccleſiæ Catholicæ Traditioni præ-

prætulerit. Quæ omnia pudore ſuffundere deberent ſcitulos nonnullos Italiæ noſtræ, qui incredibili auſu Hæreticorum veſtigiis inſiſtentes, Eccleſiæ Romanæ adverſus uſuram Dogma, tamquam *Scholaſticorum* inventum derident. Epiſcopi Sapientiſſimi, quos Deus poſuit regere Eccleſiam ſuam, cum voce, tum ſcriptis clamant, omnium Theologorum choro concinente, hunc Evangelicum textum: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, uſuræ crimen interdicere. Adverſus hanc vivam Eccleſiæ vocem jurgantur Juniores quidam Scripturarum, & Apoſtolicæ Traditionis plane imperiti. Verum in eam ſpem erigor, fore, ut, poſtquam hæc documenta, ſimulque omnia hactenus a nobis dicta ſerio perpenderint, erroneas ſuas opinationes ſint retractaturi.

VI. In medium expoſita in priorem Pontificiæ Epiſtolæ partem doctrina, quæ ipſum Catholicum Dogma ſpectat, & convulſo errore eidem oppoſito, in alteram ejuſdem Epiſtolæ partem pauca, quo ad interpretandæ Decretalis ratio ferebat, dicta ſunt. Quamvis enim Pontifex Summus nullam Catholicorum de Contractibus peculiarem opinionem perſtrinxerit; tamen regulas univerſales præſtituit, ex quibus facile colligere quiſque valeat, quinam ſint, nec ne, fœneratitii contractus. Quamobrem & ego Apoſtolicæ Decretali inſiſtens, quoſdam contractus implicitos, & innominatos refutavi, quod omnem de medio uſuram reipſa auferant. Idque potiſſimum præſtiti, ut hæreticorum calumniis occurrerem, qui effutiunt, nos uſuræ vocem, ſecus rem ipſam, inſectari. Obiter tamen, & curſim hoc peregi, alio ſubinde in Opere, & ex inſtituto argumentum hujuſmodi pertracturus. Duplex quippe Adverſariorum genus Catholicæ Doctrinæ adverſus uſuram inſidias ſtruit, ut indicavimus. Alterum Hæreticorum, qui uſuram moderatam, honeſtam clare aſſerunt: Alterum quorumdam mitioris Ethices Caſuiſtarum, qui feſtivis commentis omnem prorſus uſuram aliquo honeſtare fuco conantur. Prioris generis Adverſarios in hoc Commentario refutavimus. Alio in Opere cæterorum commenta labefactabo, omni humano reſpectu procul a nobis abire juſſo, ſolaque præ oculis habita veritate. Quoniam *vetitas manet, & invaleſcit in æternum, & vivit, & obtinet in ſæcula ſæculorum. Nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias, ſed, quæ juſta ſunt, facit omnibus. Et omnes populi clamaverunt, & dixerunt: magna eſt veritas, & prævalet.* Eſdr. 3. c. 4. Contra, ſat ſcio, clamant tertio quoque verbo Probabiliſtæ, veritatem vix ac ne vix quidem inveniri poſſe: idcirco pro humanarum actionum regula non verita-

ritatem, ſed probabilitatem ſtatuunt . Verum audiant illi Angelicum Doctorem inquientem : *Omnis homo , a natura non degenerans , veritatem amat ; & eam ſcire ſuper omnia deſiderat. Quam ſi quis concupiſcit vero corde , & eam quæſierit in ſimplicitate cordis ſui , ipſa ſe ipſam manifeſtabit ; & Deus , qui hoc promittit , verax eſt.* Opuſ. 73.

FINIS.



IMPRI-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro
Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

F. Aloyſius Nic. Ridolfi Sacri Palat. Apoſtolici
Magiſter Ordinis Prædicatorum.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
Quæ hoc COMMENTARIO continentur.

A

AUthor Libri : *Dell' impiego del danaro*. V. *Impiego del danaro*.

Andreæ de Colonia Liber de Uſura primum Gratianopoli, tum Romæ damnatus. *Pag.*3.*n.*III.

B

Barbeyraci ſententia de uſura. *p.* 118. *n.* IX. A Patribus fuiſſe reprobatas quaſcunque uſuras aperte fatetur. *ibid.*

Barchmanus Pſeudo-Archiepiſcopus Ultrajectinus adverſus uſurarum propugnatores inſurgit. *p.*7. *n.* X. Cum Pſeudo-Capitulo Ultrajectino Opus typis edidit, quo Catholicam doctrinam de uſura egregie confirmat adverſus Broederſenium. *pag.* 8. *n.* XI. Laudatur Brachmani Opus. *ibid. n.* XII. & *p.*20. *n.*VIII. Vid. *Cenſus*; & *Janſeniani*.

BENEDICTUS XIV. P.O.M. opinionum monſtra de impudicitia, non ita pridem typis cuſa, execratur, ac damnat. *p.*2. *n.*I. Controverſiam de uſura, recens excitatam, expendendam committit peculiari Congregationi ab eo inſtitutæ Purpuratorum Patrum, Prælatorum, ac Theologorum. *ibid.* & *p.*11. *n.*II. & III. Epiſtolam Decretalem edit, qua convellit errores circa uſuram, & Catholicam ſententiam firmat. *ibid.* Totius Epiſt. accurata Synopſis. *p.*12. & *ſeqq. n.* IV. & *ſeqq.* Primus *Dogmaticus* error de uſura in ea proſcriptus. *p.* 12. *n.*V. VI. & VII. Secundus item *Caſuiſticus*. *ibid. n.* VIII. Cur contractum, qui controverſiæ cauſſam initio præbuerat, minime damnavit. *p.*10. & *ſeqq. n.* I. & *ſeqq. p.* 152. *n.* I. Prudentiſſime abſtinuit a proſcriptione Librorum uſuram moderatam tutantium. *p.* 19. & *ſeq. n.* V. & *ſeqq. V. Uſura*. Sophiſma ineptiſſimum ſolvitur eorum, qui mutatis vocibus probare putant nihil a BENEDICTO XIV. S. P. fuiſſe ſtatutum circa præſentem controverſiæ ſtatum de uſura. *p.* 71. & *ſeqq. n.*I. & *ſeqq. p.*165. *n.*V. & *ſeqq.* Aptiſſima documenta præbet in ſua Decretali, atque executioni

tioni mandari præcipit. *p.* 127. & *seqq. n.* I. & *seqq.* Prudentissime, ac gravi necessitate urgente damnavit illam Casuistarum sententiam, qua adserebant mutuo semper inesse quosdam titulos, vi quorum aliquid supra sortem percipi jure posset. *p.* 144. §. III. Licet præteriverit silentio contractus illos, qui excitatæ controversiæ occasionem dederunt, ex iis tamen quæ constituit in sua Decretali manifeste usuraria labe inquinati deprehenduntur. *p.* 152. *n.* I. *p.* 164. & *seqq. n.* II. & *seqq.* Sapientissime distinxit in sua Decretali titulos mutuo innatos, & intrinsecos, ab iis, qui extrinsecus mutuo adveniunt. *p.* 155. & *seqq. n.* I. & *seqq.* Sapienter indicat qui sint Scriptores consulendi in Moralibus controversiis dirimendis. *p.* 161. & *seqq. n.* IV. & *seqq.* Diluitur eorum sophisma, qui sparserunt in vulgus, Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. permisisse Edicto suo moderatum lucrum ex mutuo. *p.* 180. & *seqq. n.* I. & *seqq.*

Boehmerus (Justus Hennigius) Catholicam de usuris sententiam egregie confirmavit. *p.* 116. & *seqq. n.* VIII.

Bossuetus (Jacobus Benignus) Evangelio Lucæ vetitum esse quamlibet usuram docet. *p.* 204. & *seq. n.* III. & *seq.*

Bragadenus Episcopus Veronensis. *V. Veronensis Episcopus.*

Broederssen. *V. Nicolaus Broedersen.*

C

Calvini sententia de usura. *p.* 2. *n.* II. Cæremoniali præcepto vetitum fuisse Judæis putat, quod Evangelio abrogatum Christianos non obligat. *ibid.*

Carolo Molinæo auctore usura commutanti justitiæ minime adversatur. *p.* 2. *n.* II. Cum caritate pugnat, si nimia sit. *ibid.* Juste exigitur a divitibus, non item a pauperibus, aut ab illis qui ob fortuitum casum pecunia indigent, cui restituendæ opportuno tempore pares sunt. *ibid.* Molinæi error de usura fusius explicatus. *p.* 59. & *seqq. n.* III. & *seqq.* Fatetur, Theologos Scholasticos, Canonistas, & Legistas cujusvis generis usuras damnare. *p.* 115. *n.* V.

Catechismus Concilii Tridentini quodlibet lucrum ex mutuo usuram appellat. *p.* 202. *n.* I.

Casuistarum Torrecillæ, Tamburini, Lessii, de Lugo, Malderi &c. doctrina singularis de mutuo. *p.* 138. & *seqq. n.* II. & *seqq.* Mutuo semper inesse titulos aliquos veluti innatos putant, quorum adminiculo aliquid supra sortem exigi potest. *ibid.* & *p.* 149. & *seqq. n.* II. & *seqq.*

P. Lessius damnatæ propositionis

nis Auctor . *p.* 142. *n.* XIII. Mala fides P. Vivæ. *ibid.* Laxiorum Casuistarum doctrinam exscribit, ac consectatur Broedersenius . *p.* 147. *& seq. n.* IV. Arcanum probabilisticum, quo ingenioſi Juniores Molina, Lessius, Tamburinus, Lugo, Gibalinus, Bonacina &c. contractus manifeste usurarios ab usuræ labe liberant . *p.* 149. *& seq. n.* II. *& seqq.* Speciosa P. Pichleri opinio, qua usuram putat conditionate a Deo vetitam, si nimirum Principum consensu, civitatis, aut patriæ consuetudine non permittatur . *p.* 150. *n.* V. Casuistæ, Catholici, & Novatores usurarios contractus sustinent, ac defendunt, diversis tamen principiis innixi. *p.* 157. *& seq. n.* I. *& seqq.* Utrorumque errores refellit, ac damnat Summus Pont. BENEDICTUS XIV. in sua Decretali . *p.* 158. *n.* IV. Cardinalis Cajetanus, & Dominicus Soto plus æquo rigidi in eo quod spectat ad fructus perceptos a ministris Montium Pietatis, quibus usuram subesse putarunt . *p.* 160. *n.* II. Quinam Scriptores consulendi in Moralibus quæstionibus dirimendis ex præscripto Summi Pontificis BENEDICTI XIV. *p.* 161. *& seqq. n.* IV. *& seqq.*

Censuræ, & notæ qua ratione ferri impune possint in Casuistarum sententias laxas a privato Scriptore. *p.* 167. *& seqq. n.* I. *& seqq.* Summorum Pontificum prohibitiones de censuris ferendis quomodo intelligantur . *ibid.* Quod unus, aut alter Casuista alicujus sententiæ author sit, non continuo ea sententia inter authores Catholicos controversa dici potest . *p.* 169. *num.* V. *& seqq.* P. Leonardi Lessii damnata doctrina de pecunia præsenti majoris pretii, quam sperata. *p.* 176. *& seq. n.* V. *& seq.*

Capitulum Ultrajectinum. *V. Barchmanus Pseudo Archiepiscopus .*

Censuræ, & notæ qua ratione ferri impune possint in laxas Casuistarum sententias a privato Scriptore. *p.* 167. *& seqq. n.* I. *& seqq.* Summorum Pontificum prohibitiones de censuris ferendis, quomodo intelligantur . *ibid.*

Census reales sublati in Belgio, & personales utrinque redimibiles perperam subrogati . *p.* 3. *n.* IV. Deferuntur ad tribunal Theologorum . *ibid.* Doctores Lovanienses sua consultatione ceu omnino usurarios, aut usuræ periculi plenos declarant . *p.* 4. *& seq. n.* IV. *& seqq. p.* 6. *& seq. n.* IX. Schirlandiæ, & Gondæ Pastores census ejusmodi etsi de usura suspectos, tolerari posse putant ob patria commoda . *p.* 6. *& seq. n.* IX. Novæ turbæ, & disceptationes

in Belgio circa ejuſmodi cenſus . *p.* 7. *& ſeqq. n.* X. Pſeudo-Archiep. Ultrajectinus ceu uſurarios damnat , reliquoſque inaugurandos Epiſcopos ut eoſdem damnarent adigit . *ibid.* Doctiores Janſeniſtæ calculum adjiciunt : nonnulli reipublicæ commodis ſtudentes magis , quam veritati, obluctantur , & in Calvini &c. ſententiam abeunt . *p.* 8. *n.* X. Cenſus perſonales utrinque redimibiles prorſus uſurarii deprehenduntur. *p.* 175. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq.* Cenſus reales utrinque redimibiles ſenſim ſine ſenſu in perſonales evaſerunt apud Germanos ope Probabiliſmi . *p.* 178. *n.* VIII. Quam a vero abludunt ii , qui ex cenſibus realibus ab Eccleſia approbatis , putant elici inde poſſe etiam perſonales cenſus eſſe licitos , ſeu lucrum ex mutuo. *p.* 182. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq.*

Claudius Salmaſius Calvini , ac Molinæi errorem de Uſura amplificat . *p.* 2. *n.* III. Uſuræ definitio ab eo tradita rejicitur . *p.* 34. *& ſeqq. n.* II. *& ſeqq.* Miſerum Salmaſii effugium præcluditur . *p.* 48. *n.* VII. Illius ſententia fuſius explicatur. *p.* 62 *& ſeq. n.* X. Negare non audet, uſuram in Evangelio fuiſſe damnatam . *p.* 94. *n.* VI.

Cloppenburgius . *V. Joannes Cloppenburgius .*

Concilium Lateranenſe uſuras Evangelio eſſe oppoſitas aperte docet . *p.* 97. *n.* X. Innumera alia Concilia quamcumque uſuram damnant, ac reprobant. *p.* 112. *n.* II.

Contractus a mutuo diſtincti juſti & honeſti ſunt, ſi æqualitas ſervetur . *p.* 128. *n.* I. Si non ſervetur æqualitas, non uſuræ, ſed injuſtitiæ crimen committitur . *ibid.* Contractus a mutuo diſtinctos in eodem mutuo ſemper implicitos eſſe , eorumque titulo juſtum lucrum ex mutuo exigi poſſe temerarium eſt adſerere . *p.* 12. *n.* XI. *p.* 125. *& ſeq. n.* II. *& ſeqq. p.* 137. 138. *& ſeqq. n.* I. *& ſeq.* Variæ contractuum formulæ , quæ cauſſam dedere graviſſimo errori proſcribendo; nempe mutuum ſemper comitari contractus aliquos , quorum præſidio lucrum juſtum evadit. *p.* 144. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq.* Inepta contractuum formula a Broederſenio propoſita rejicitur. *p.* 146. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq.* Arcanum probabiliſticum, quo ingenioſi Juniores , Molina , Leſſius , Tamburinus , Lugo , Gibalinus , Bonacina &c. contractus manifeſte uſurarios ab uſuræ labe liberant . *p.* 149. *& ſeq. n.* II. *& ſeqq.* Prudentiſſime præteriit Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. eos contractus , qui excitatæ controverſiæ cauſſam dedere. *p.* 152. *n.* I. *& p.* 164. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq.* Ex iis tamen , quæ in ſua Decretali con-

conſtituit, manifeſte uſuræ labe inquinati deprehenduntur. *p.* 152. *n.* I. & *p.* 165. & *ſeq.* *n.* VI. & *ſeqq.* *p.* 173. & *ſeqq.* *n.* I. & *ſeqq.* Contractibus innominatis quam abſurde abutuntur ex Caſuiſtis nonnulli. *p.* 174. & *ſeq.* *n.* II. & *ſeqq.* Contractus, qui controverſiæ cauſſam dedere, uſurarii probantur. *p.* 179. *n.* I. & *ſeq.*

Coreur. *V. Le Coreur.*

D

De Colonia. *V. Andreæ de Colonia.*

Dell' impiego del danaro; Liber ſic inſcriptus. *V. Impiego del danaro.*

De Lugo. *V. Caſuiſtarum.*

Dominicus Soto, ceu uſurarum patronus falſo vocatur a Broederſenio, ejuſque Interprete Italo. *p.* 94. *n.* VII. & *p.* 96. *n.* IX. Fuit plus æquo rigidus cum Cajetano in eo quod ſpectat ad fructus perceptos a Miniſtris Montium Pietatis, quibus uſuram ſubeſſe putavit. *p.* 160. *n.* II.

E

Emanuel Maignanus ad errorem Calvini &c. de uſura proxime accedit. *p.* 3. *n.* III. Ejuſdem Diſſertatio quinque Epiſcoporum, ac tandem Romanæ Sedis cenſura proſcripta eſt. *ibid.*

F

Fœnus. *V. Uſura.*

G

Gaytte (Jacobus) egregium opus edit adverſus uſurarum patronos. *p.* 15. *n.* XIV. Vulgatam definitionem mutui in bono lumine collocat, & ab adverſariorum telis vindicat. *p.* 26. & *ſeq.* *n.* I. & *ſeqq.*

Grotius. *V. Hugonis Grotii.*

H

Hæretici Scriptores plane multi fatentur, uſuras cujuſvis generis improbatas fuiſſe a Patribus, Conciliis, Pontificibus, Theologis, Canoniſtis &c. *p.* 114. & *ſeqq.* *n.* II. & *ſeqq.*

Hebræis Deus uſuras conceſsit cum Amalecitis & Amorrhæis, quibuſcum juſta bella gerebant. *p.* 81. *n.* VIII. & *p.* 86. *n.* III. Vel certe uſuras eaſdem illis ob duritiam cordis permiſit. *p.* 82. *n.* VIII. & *ſeq.* & *p.* 87. *n.* IV. Hebræorum multa, & varia eum aliis nationibus commercia enumerantur. *p.* 88. & *ſeq.* *n.* I. & *ſeq.*

Heinecius in mutuo transferri dominium fatetur. *p.* 192. *n.* XIV. Aperta Heinecii antilogia. *ibid.*

Hugonis Grotii orthodoxa de uſura ſententia, ſanctiſque Patribus

tribus consentanea. *p.* 80. *n.* III. & *p.* 115. & *seq.* *n.* VI.

I

Jansseniani in Belgio fœderato controversias excitant de usura. *p.* 3. & *seqq.* *n.* IV. & *seqq.* Nova dissidia excitata de eodem argumento. *p.* 7. & *seqq.* *n.* X. Pseudo-Archiepiscopus Ultrajectinus usurarios damnat, reliquosque inaugurandos Episcopos, ut eosdem damnarent adigit. *ibid.* Doctiores Jansenistæ calculum adjiciunt. *p.* 8. *n.* X. *V. Barchmanus.*

Imperatores. *V. Principes.*

Impiego del danaro. Author Libri: *Dell' impiego del danaro* Molinæi, Salmasii, Broedersenii &c. errorem circa usuram data opera defendit. *p.* 10. *n.* XV. Immoderatam, mordentem, atque opprimentem usuram a Scriptura & Patribus improbari putat; non item illam, quæ moderata est, atque a divitibus exigitur. *ibid.* Scitam vulgatamque doctrinam de pecunia suapte natura sterili, deque translato dominio in mutuo ceu fabulam habet. *ibid.* Capitalis ipsius error de dominio minime translato in mutuo, refellitur, totumque illius systema evertitur. *p.* 45. & *seqq.* *n.* I. & *seqq.* Usuram lucrum ex mutuo definiri perperam negat. *p.* 30. *n.* IV. Refelluntur ejus argumenta, quibus errorem oppositum suadere nititur. *p.* 50. & *seqq.* *n.* X. & *seqq.* Sententia illius fusius explicatur, & cum Calvini, Salmasii, Molinæi, Noodt, & Broedersenii errore congruere demonstratur. *p.* 65. & *seqq.* *n.* XIII. & *seqq.* & *p.* 73. & *seqq.* *n.* I. & *seqq.* Hæreticorum doctrinam manifeste sequitur. *ibid.* Totidem verbis exscribit errorem Salmasii. *p.* 76. *n.* VII. Doctrinæ mutationem circa usuram Ecclesiæ affingit. *p.* 78. *n.* X. Inverecunde lacerat SS. Ecclesiæ Doctores Ambrosium, & Thomam Aquinatem, quod errori suo manifeste repugnent. *p.* 86. & *seq.* *n.* II. & *seqq.* Veras usuras defendit. *p.* 87. & *seq.* *n.* V. Textum Evangelii, quo usura damnatur, misere detorquet. *p.* 95. & *seq.* *n.* IX. & *seq.* Perperam in subsidium vocat Dominicum Soto. *p.* 96. *n.* IX. In universam Scripturam Sacram Pyrrhonismum, & Scepticismum invehit. *p.* 97. & *seqq.* *n.* I. & *seqq.* Sublimiores Theologiæ controversias dirimendas sibi sumpsit, quin umquam prius eisdem studuerit, aut de illis cogitaverit. *p.* 99. *n.* IV. & *p.* 121. *n.* I. Falso adserit a SS. Patribus noxiam, non innoxiam usuram fuisse damnatam. *p.* 100. & *seqq.* *usque ad* *n.* III. Propriis armis jugulatur. *p.* 110. & *seq.* *n.* VI. Confiden-

fidenter adſerit Patres, Pontifices, Concilia, Theologos, & Canoniſtas moderatas uſuras defendere, cum tamen vel ipſi Proteſtantes uſurarum patroni aperte idipſum pernegent. *p.* 114. & *ſeqq.* *n.* I. & *ſeqq.* Aut hæreticam, aut hæreſi proximam putant Theologi Catholici omnes ſententiam Broederſenii, ejuſque Interpretis Itali. *p.* 119. *n.* XII. Idem ipſe Broederſenii Interpres aperte profitetur, ſe Calvini, Molinæi, Salmaſii, aliorumque Hæreticorum doctrinam de uſura propugnare, eamque adverſus Catholicos omnes ſanam eſſe confidentiſſime adſerit. *p.* 121. & *ſeq.* *n.* I. & *ſeqq.* Eamdem ſententiam a SS. PP. Conciliorum, ac Pontificum Decretis propugnari audaciſſime adſerit. *p.* 122. In mutuo ſemper adeſſe titulos veluti innatos putat, quorum cauſſa lucrum ex illo percipi jure poſſit. *p.* 143. *n.* XVIII. Principum poteſtate, ac legibus civilibus uſuram licitam fieri poſſe putat. *p.* 151. *n.* VI. Putat ſe in Paſchalio ſophiſma detexiſſe, cujus tamen ſophiſmatis is ipſe author eſt, in ejuſque caput regeritur. *p.* 181. & *ſeq.* *n.* III. Ex eo quod fructum ex realibus cenſibus percipere licitum eſt, inepte eruit, etiam ex mutuo lucrum moderatum percipi licite poſſe. *p.* 182. & *ſeqq.* *n.* I. & *ſeqq.* Contra doctrinam a proprio Epiſcopo Veronenſi typis vulgatam inſurrexit Broederſenii Italus Interpres. *p.* 203. *n.* II.

Joannes Cloppenburgius Molinæi, Calviniique errores de uſura amplificat. *p.* 2. *n.* III.

Interpres Italus Broederſenii. *V. Impiego del danaro.*

L

Le Coreur Author Libri *Traité de la pratique des Billets &c.* vulgatam mutui definitionem oppugnat. *p.* 3. *n.* III. Mutuum alterum conſumptionis, negotiationis alterum commentus eſt; ac illud quidem, non iſtud verum mutuum affirmat; atque ex hoc perceptum lucrum uſuræ labe expers eſſe putat. *ibid.*

Leges civiles, aut patriæ uſuras quantumvis moderatas licitas efficere minime poſſunt. *p.* 150. & *ſeq.* *n.* VI.

Leſſius (P. Leonardus.) *V. Caſuiſtarum.*

Lovanienſes Doctores interpellati de ſententia dicenda de cenſibus perſonalibus utrinque redimibilibus in Belgio inductis. *p.* 3. & *ſeqq.* *n.* IV. & *ſeqq.* Una atque altera conſultatione declarant uſurarios illos eſſe, adeoque eliminandos. *ibid.* Broederſenius Janſenianus mala fide Lovanienſium DD. ſententiam exhibet. *p.* 5. & *ſeq.* *n.* VII. & *ſeqq.*

De Lugo. *V. Caſuiſtarum.*

M

Maignanus . *V. Emanuel Maignanus* .
Malderus . *V. Caſuiſtarum* .
Melanchtonis (Philippi) accuratiſſima uſuræ definitio . *p.* 33. *n.* V. Quaſcumque uſuras a SS. Patribus fuiſſe improbatas aperte docet . *p.* 115. *n.* IV.
Molinæus . *V. Carolo Molinæo* .
Mutui vulgata definitio a *le Coreur* oppugnata . *p.* 3. *n.* III. V. *Le Coreur* . Subinde a Broederſenio . *p.* 9. *n.* XIV. Denique ab Italo Auctore libri *Dell' impiego del denaro* . *p.* 10. *n.* XV. Eamdem tamen vulgatam definitionem BENEDICTUS XIV. in ſua Decretali confirmat . *p.* 12. *n.* VI. & *p.* 21. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq.* Mutuationis contractui junguntur interdum tituli quidam , quorum cauſſa lucrum ex pecunia credita licitum eſt *p.* 13. *n.* IX. *& p.* 124. *& ſeq. n.* I. *& ſeqq.* Falſa & temeraria eſt auctore BENEDICTO XIV. S. P. ea opinio , quæ ait , ſemper adeſſe in mutuo titulos quoſdam , ob quos lucrum ex pecunia credita perceptum licitum fiat . *p.* 12. *n.* XI. *p.* 125. *& ſeq. n.* II. *& ſeqq. p.* 136. *& ſeq. n.* I. *& ſeqq. p.* 155. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq. V. Uſura* . Vulgata mutui definitio explicatur , ac defenditur . *p.* 22. *& ſeqq.* & *n.* I. *& ſeqq.* Quam Salmaſius tradidit rejicitur . *p.* 34. *& ſeqq.* & *n.* II. *& ſeqq.* In mutuo transferri dominium ſtatuit S. P. BENEDICTUS XIV., quo uno tota concidit cauſſa Patronorum uſuræ . *p.* 45. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq.* A Petro Lombardo ad hæc uſque tempora omnes docuerunt dominium pecuniæ fœnebris in accipientem tranſire. *p.* 49. *& ſeqq. n.* IX. *& p.* 191. *& ſeq. n.* XII. *& ſeqq.* Refelluntur argumenta , quibus oppoſita ſententia ſuadetur . *p.* 50. *& ſeqq. n.* X. *& ſeqq.* Feſtiva Tamburini doctrina de mutuo ob oculos ponitur , ac rejicitur . *p.* 125. *& ſeq. n.* III. *& ſeq.* Ex eo quod Eccleſia probavit licitos fructus ex cenſibus realibus , inepte elicitur etiam ex mutuo fructum percipere eſſe licitum . *p.* 182. *& ſeqq. n.* I. *& ſeqq.*

N

Nicolaus Broederſen hæreticam Calvini doctrinam de Uſura amplectitur *p.* 5. *n.* VII. Mala ipſius fides in exponenda Doctorum Lovanienſium ſententia . *ibid.* Librum typis mandat , quo moderatam uſuram non a pauperibus , ſed a divitibus exactam non eſſe a Deo prohibitam , defendit . *p.* 8. *n.* IX. Impugnatur peculiari opere ab Ultrajectino Epiſcopo ,

po, & aliis. *ibid.* Laudatur hoc Opus. *ibid.n.*XII. Alterum Opus Broederſenii; quo moderatam uſuram a divitibus perceptam lato calamo defendit. *p.* 9. *n.* XIV. Broederſenii Liber in Italiam delatus imperitos quoſdam inficit. *p.* 10. & *ſeq. n.* II. & *p.* 19. *n.* VII. Dogma contra uſuram, & uſuram ipſam penitus e mundo tollit. *p.* 25. *n.* II. & *ſeqq.* Errores illius in definitione mutui, & uſuræ. *p.* 43. & *ſeq. n.* I. & *ſeqq.* Capitalis error Broederſenii rejicitur, nempe in mutuo non transferri dominium. *p.* 45. & *ſeqq. n.* I. & *ſeqq.* Refelluntur argumenta, quibus errorem defendit *p.* 50. & *ſeqq. n.* X. & *ſeqq.* Explicatur fuſius illius ſententia de uſura cum divitibus licita. *p.* 63. & *ſeqq. n.* XI. & *ſeq.* Temere redarguit S. Baſilium. *ibid.* & *p.* 65. *n.* XII. Evangelium Lucæ uſuram damnans, miſere detorquet. *p.* 94. & *ſeq. n.* VII. & *ſeq.* Perperam in ſubſidium vocat Dominicum Soto. *ibid.* Falſo adſerit a SS. Patribus noxiam ſeu mordentem, non innoxiam ſeu moderatam uſuram fuiſſe damnatam. *p.* 100. & *ſeqq. uſque* ad *n.* III. Pontifices, Theologos, Canoniſtas &c. moderatas uſuras approbare confidenter adſerit Broederſenius, cum tamen vel ipſi Novatores uſurarum patroni aperte idipſum pernegent. *p.* 114. & *ſeqq. n.* I. & *ſeqq.* Broederſenii ſententiam de uſura aut hæreticam, aut hæreſi proximam cenſent omnes Theologi Catholici. *p.* 119. *n.* XII. Ineptam contractuum formulam exhibet, vitiiſque, ac dolis plenam. *p.* 146. & *ſeqq. n.* I. & *ſeqq.* Laxiorum Caſuiſtarum doctrinam exſcribit, ac ſequitur. *p.* 147. & *ſeq. n.* IV.

Noodt (Gerardus) fatetur, improbatam fuiſſe a Patribus, Summis Pontificibus, & Conciliis cujuſque generis uſuras. *p.* 116. *n.* VII.

O

Opinio P. Terilli docentis Sanctiſſimam Virginem, & S. Joſeph ſecutos fuiſſe opinionem ipſis minus probabilem, dicenda non eſt opinio inter Catholicos controverſa; ſicut neque aliæ ſexcentæ, quæ horrorem & ſcandalum *vel* ipſis hæreticis ingerunt. *p.* 169. *n.* V. Neque, quæ eximit tactus mamillares a gravi culpa, quod duo, aut tres Caſuiſtæ id doceant. *Ibid.* Putidus error, & abſurdum ſophiſma nuper eductum ex Evangelico textu *Super ægros manus imponent*, & *bene habebunt* ad probandum eos mamillares tactus abſque ulla neceſſitate habitos negari non poſſe indifferentes eſſe abſque periculo erroris in fide. *Ibid.*

Ibid. Rejici poteſt ceu putidum, & lutulentum commentum, abſque violatione Innocentiani Decreti. *Ibid.* Opinionem ab hoc, vel illo Theologo invectam refutari non poſſe tamquam improbabilem, falſam, ſcandalique plenam falſo contendunt Recentiores nonnulli. *Ibid.* Hiſpaniarum Archiepiſcopi, & Epiſcopi per Cardilem Bellugam damnandas obtulerunt Pontifici Maximo opiniones tercentum. *Ibid.*

P

SS. Patres omnes notionem uſuræ per lucrum ex mutuo exactum, aut ſperatum tradunt. *p.* 32. *&* *ſeq.* *n.* I. *&* *ſeqq.* SS. Thomas, & Antoninus peram ceu patrocinatores uſurarum interpellati. *p.* 40. *&* *ſeqq.* *n.* IV. *&* *ſeqq.* & *p.* 43. *&* *ſeqq.* *n.* I. *&* *ſeqq.* SS. Ambroſium, & Thomam Aquinatem inverecunde lacerat Italus Broederſenii Interpres, quod errori ſuo manifeſte repugnent. *p.* 86. *&* *ſeq.* *n.* II. *&* *ſeqq.* Uſuram quamlibet ſive moderatam, ſive immoderatam, ſive a divitibus, ſive a pauperibus perceptam damnant Eccleſiæ Patres. *p.* 100. *uſque ad n.* III. Vel ipſi Novatores fatentur reprobatas a Patribus fuiſſe cujuſvis generis uſuras. *p.* 114. *&* *ſeqq.* *n.* II. *&* *ſeqq.* Negat id Italus Broederſenii Interpres, immo vero moderatas a divitibus, & mercatoribus perceptas uſuras Patribus, Conciliis, & Summis Pontificibus probari confidentiſſime adſerit. *p.* 122. *n.* III. SS. Patrum tempore moderatas uſuras licitas fuiſſe perperam adſerit Italus Broederſenii Interpres. *p.* 195. *&* *ſeqq.* *n.* I. *&* *ſeqq.*

Pecuniæ ſterilitas probatur adverſus Novatores. *p.* 187. *&* *ſeq.* *n.* III. Pecuniæ mutuatæ dominium transfertur in mutuatarium. *p.* 45. *&* *ſeqq.* *n.* I. *&* *ſeqq.* & *p.* 191. *&* *ſeq.* *n.* XII. *&* *ſeqq.* *V. Mutuum*.

Philippus Melanchton. *V. Melanchtonis*.

P. Pichler. *V. Caſuiſtarum*.

Principes licitas uſuras efficere poſſunt ſuo conſenſu auctore P. Pichlero, aliiſque nonnullis. *p.* 150. *n.* V. Quam ſit a veritate aliena ejuſmodi opinio. *ibid.* *n.* VI. Principes ethnici ſuis legibus uſuras quaslibet prohibuerunt. *p.* 196. *&* *ſeqq.* *n.* III. *&* *ſeqq.* Id ipſum ſubinde factitarunt Imperatores, ac Principes Chriſtiani. *p.* 197. *&* *ſeqq.* *n.* V. *&* *ſeqq.* Permiſerunt ſæpe uſuras, numquam probarunt. 198. *&* *ſeqq.* *n.* VII. *&* *ſeqq.*

Probabiliſtæ hæreſeos damnant defenſores uſuræ quamtumvis moderatæ *p.* 119. *n.* XII. *V. Caſuiſtarum*.

Quæ-

Q

Quæstiones inter Catholicos controverſæ dicuntur illæ, quas Univerſitates, aut Catholicorum Scholæ adoptarunt; non vero quas hic, aut ille Caſuiſta in dies promit. *p.* 168. & *ſeq. n.* V.

R

Redditus utrinque redimibiles, *V. Cenſus reales*.

S

Salmaſius. *V. Claudius Salmaſius*.

Soto. *V. Dominicus Soto*.

Summi Pontifices unanimi conſenſu cujuſcumque generis uſuras damnant. *p.* 113. *n.* IV. *V.* BENEDICTUS XIV. S. P.

T

Tamburini (Thomæ) feſtiva de mutuo doctrina ob oculos ponitur, ac rejicitur. *p.* 125. & *ſeq. n.* III. & *ſeq. p.* 138. & *ſeq. n.* III. & *ſeqq.*

Terillus (P. Antonius.) V. *Opinio P. Terilli*.

Theologiæ comparandæ, aut tradendæ quinam ſint apti. *p.* 131. & *ſeqq. n.* I. & *ſeqq.* Controverſiæ inter Theologos controverſæ quænam reapſe tales ſint. *p.* 169. *n.* V.

Torrecilla (P. Martinus). *V. Caſuiſtarum*.

V

Veronenſis Epiſcopus D. Bragadenus errorem de uſura ab Italo Broederſenii Interprete Veronæ excitatum damnat. *p.* 203. *n.* II.

Uſura argumentum recens controverſiarum. *p.* 2. *n.* I. Ad eas ſedandas BENEDICTUS XIV. P. O. M. peculiarem inſtituit Congregationem. *ibid.* Calvini, Molinæi, Salmaſii, Cloppemburgii, aliorumque de uſura errores. *p.* 2. & *ſeqq. n.* II. & *ſeqq.* Controverſiæ in Belgio excitatæ circa uſuram. *p.* 5. & *ſeqq. n.* IV. & *ſeqq.* Doctorum Lovanienſium de hoc conſultationes. *p.* 4. & *ſeqq. n.* IV. & *ſeqq.* Uſuram divino, humanoque juri contrariam putant. *p.* 6. *n.* VIII. Broederſenii mala fides in exponenda DD. Lovanienſium ſententia. *p.* 5. & *ſeq. n.* VIII. & *ſeqq.* Novæ turbæ, & diſceptationes circa contractus uſurarios in Belgio. *p.* 7. & *ſeq. n.* X. *V. Cenſus reales.* Notiones mutui, & uſuræ a Catholicis vulgo aſſertæ a S. P. confirmantur. *p.* 21. & *ſeqq. n.* I. & *ſeqq.* Elicitur inde proſcriptos fuiſſe errores de uſura a Broederſenio, & ab aliis propugnatos. *p.* 24. & *ſeqq. n.* I. & *ſeqq.* Uſura peccatum eſt, & in mutuo locum habet, BENE-

DICTO XIV. S. P. definiente. *n.*27. *& seq. n.* I. *& seqq.* Juxta Patres omnes ratio usuræ est lucrum ex mutuo exactum, aut speratum. *p.*32. *& seq. n.* I. *& seqq.* Usuræ definitio ab Salmasio tradita rejicitur. *p.*34. *& seqq. n.*II. *& seqq.* Alia commentitia usuræ definitio explo-ditur. *p.*38. *& seqq. n.*I. *& seqq.* SS. Thomas, & Antoninus perperam in subsidium vocati a patronis usurarum. *p.* 40. *& seqq. n.* IV. *& seqq. & p.* 43. *& seq. n.*I. *& seq.* Usura justitiæ commutativæ opponitur. *p.* 45. *n.* I. Ex hoc autem capitalis Broedersenii &c. error refellitur. *ibid. & seqq.* BENEDICTUS XIV. S. P. manifeste damnavit quamcumque usuram sive magnam, sive parvam, sive moderatum, sive excedentem, sive a pauperibus, sive a divitibus, sive a mercatoribus perceptam, ut criminosam, & justitiæ commutanti adversam. *p.*69. *& seq. n.* I. *& seqq.* Usura quælibet Sacræ Scripturæ Veteris Testamenti adversatur. *p.* 80. *& seqq. n.* I. *& seqq.* Hebræis Deus usuras permisit ob cordis duritiam. *p.* 82. *n.* VIII. *V. Hebræis.* Evangelio usura opponitur. *p.*91. *& seqq.n.* I. *& seqq.* Salmasius non audet oblectari, usuram Evangelio damnari. *p.* 94. *n.* VI. Concilium Later. sub Leone X. usuras Evangelio Lucæ fuisse damnatas manifeste docet. *p.*97. *n.*X. SS. Patres usuram omnem sive parvam, sive a divitibus, sive a pauperibus perceptam improbant. *p.*100. *n.* I. Duplicis usuræ licitæ, & illicitæ; noxiæ, & innoxiæ apud Patres nullum vestigium; sed omnes indiscriminatim damnant. *p.*100. *& seqq. usque ad n.* III. Summorum Pontificum, & Conciliorum decreta quamlibet usuram damnant. *p.* 112. *& seq. n.* I. *& seqq.* Id vel ipsi Novatores usurarum patroni candide fatentur. *p.* 114. *& seqq. n.* II. *& seqq.* Aut hæresis est, aut hæresi proxima sententia, quæ moderatas usuras licitas defendit. *p.* 119. *n.* XII. Contractus usurarii, qui occasionem dederunt Summo Pontifici Casuistarum doctrinam damnandi. *p.* 144. *& seqq. n.* I. *& seqq. V. Contractus.* Usuras conditionate a Deo vetitas putat P. Pichler, aliique nonnulli; nimirum si Principum, Civitatum, aut patriæ legibus non permittantur. *p.* 150. *n.* V. *& seq.* Quam inepta sit ejusmodi opinio. *ibid. n.*VI. Contractus innominati sæpe usuras palliant. *p.* 172. *& seq. n.*II. *& seqq.* Usuræ quamvis moderatæ naturali jure vetitæ sunt. *p.*188. *& seqq. n.* IV. *& seqq. V. Contractus. Census reales. Casnistarum. BENEDICTUS XIV. Summ. Pont.* Usuræ quantumvis

tumvis moderatæ damnatæ hæreſeos ab ipſis Probabiliſtis. *V. Probabiliſtæ*. Quaſcumque a SS. Patribus improbatas docet Melanchthon. *V. Melanchthonis (Philippi.)* Uſuræ accuratiſſima deſcriptio. *V. ibid.* Uſuræ vera notio ſapienter tradita a D. Bragadeno Epiſcopo Veronenſi in ſua *Doctrina Chriſtiana*, a Cl. Viris Romæ approbata. *p.* 203. *& ſeq. n.* III. Uſuram moderatam non a pauperibus, ſed a divitibus exactam, non eſſe a Deo prohibitam libro typis edito defendit Broederſenius, impugnatus peculiari Opere ab Pſeudo Epiſcopo Ultrajectino. *V. Nicolaus Broederſen*. Uſuras quaslibet prohibuerunt Principes Ethnici, ac Chriſtiani ſuis legibus. *Vid. Principes*. Uſuras illi permiſerunt ſæpe, numquam probarunt. *V. ibid.* Uſuras ſuo libro penitus e mundo tollit Broederſenius. *V. Nic. Broederſen.* Uſuras omnes erga omnes vetari bene docet Natalis Alexander: ineptiſſimeque hanc doctrinam titulo *novitatis* carpit Author libri: *Dell' impiego del danaro*, approbans propterea licitas eſſe aliquas uſuras erga aliquos. *p.* 80. *n.* III.

FINIS.

EXCU-

EXCUDEBANT ROMAE
NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI
BIBLIOPOLAE ET TYPOGRAPHI
AD THEATRUM POMPEII
ANNO CIↃ. IↃ. CC. XLVI. MENSE SEPTEMBRIS
SEDENTE
BENEDICTO XIV. PONT. OPT. MAX.
ANNO VII.

Errores præcipui, qui festinante prælo, aliisque curis Auctore distento in hunc Librum irrepserunt.

ERRORES		CORRIGE
Pag.	Lin.	
IX.	11. *acceptas*	*acceptatas*
XXIV.	22. præ omnis	præ oculis
XXV.	5. *Decretati*	*Decretali*
XXXVI.	12. *exprobantis*	*exprobrantis*
	2. ult. succeſſione	ſeceſſione
	5. 16. quamquis	quamvis
	8. 5. Ad hos	Ad has
	9. 1. *vetiti*	*veriti*
	11. *exturbandis ſit*	*exturbandus ſit*
	26. erubenſcens	erubeſcens
	10. 21. *Ecyclicæ*	*Encyclicæ*
	11. 14. *numeris*	*muneris*
	22. Decretali	Decretalis
	14. 10. uſu ræ	uſuræ
	15. 8. Luſionenſem	Lucionenſem
	17. 14. deſiciſione	deciſione
	19. 21. Ecyclicæ	Encyclicæ
	31. Iſtalo	Italo
	22. 3. Commentario	Commentarium
	23. 26. in conſumptione	ad conſumptionem
	28. 1. *receptam*	*receptum*
	30. 19. &	*eſt*
	31. 27. ita enim	ita etiam
	30. reycicere	rejicere
	ult. excuſſu	exceſſu
	35. 8. *Prima*	*Primo*
	36. 36. Recentiones	Recentiores
	39. 5. principis	principiis
	41. 5. *chopitre*	*chapitre*
	42. 6. & 7. In hac, ſecus in illa	In illa, ſecus in hac
	46. 1. Broederſani	Broederſiani
	47. 8. *Patruum*	*Patrum*
	48. 9. conditionem	condictionem
	37. Metaphyſeam	Metaphyſicam
	54. 24. & 25. *debam*	*debeam*
	57. 28. ſtarum	ſtatum
	61. 18. horam	horum
	63. 11. lucantur	locantur
	12. juxta eſt	juſta eſt
	64. 4. *convinciur*	*convincitur*
	11. *divinis*	*divitis*
	68. 5. Quod plura	Quid piura?
	11. naturam	natura
	14. rotunde	rotundo
	71. 7. calamitant	clamitant

ERRORES		CORRIGE
Pag.	Lin.	
75.	33. *Si dicono*	*Se dicono*
77.	19. *queſto*	*queſto*
80.	10. *Ribatterſi*	*Ribatteſi*
	13. *ergo*	*erga*
81.	4. *Cap.23. & 19.*	*Cap.23. v. 19.*
	6. *fuges*	*fruges*
83.	27. fererit	fecerit
88.	28. Tyrorum	Tyriorum
89.	9. *balſamuum*	*balſamum*
	19. exercebat	exercebant
	20. III.	II.
	29. obtudunt	obtundunt
90.	16. 2. & 25.	2. v. 25.
91.	1. *effundi*	*effudi*
	29. Patruum	Patrum
94.	37. Dominium	Dominicum
	ult. bidem	ibidem
95.	7. uno	una
96.	21. explere	expleri
97.	20. commentus eſt	commentatus eſt
98.	6. gratiæ	gratia
110.	9. numeri	muneri
101.	22. & 23. incirco	idcirco
102.	16. non in in	non in
	28. irreterent	irretirent
111.	15. *Ductum*	*Dictum*
113.	21. & Alexander Innocentio XI.	Alexander & Innocentius XI.
114.	24. Barbayracus	Barbeyracus
115.	20. *Repuplica*	*Republica*
116.	16. Nood	Noodt
	36. Bohemertus	Boehmerus
119.	10. exprobaſſent	exprobraſſent
	16. inſenſiſſimi	inſenſiſſimi
	29. hæreticum	hæreticam
120.	17. ſemeptipſos	ſemetipſos
	36. aut illum	aut illud
121.	34. audactiſſime	audaciſſime
125.	24. *mutuarii*	*mutuatarii*
132.	2. Ariſtotelem	Ariſtotilem
	34. Quorum hæc?	Quorſum hæc?
135.	5. Evungelii	Evangelii
136.	11. ſenſerint	ſenſerit
	ult. ſubjiere	ſubjicere
139.	6. una cum cum	una cum
141.	32. ſint	ſint

Pag. Lin.	ERRORES	CORRIGE
141. 38.	aſtignat	aſſignat
142. 10.	*poſſint*	*poſſunt*
144. 8.	*alierícumque*	*altericumque*
146. 32.	a Joannes	a Joanne
147. 33. & 34.	reparere	reparare
149. 39.	amphilogias	amphibologias
152. 33.	quia	qui
154. 5.	interdicere	interdixere
156. 37.	quæ valeant	quæ valeat
157. 27.	mercaturam	mercatura
158. 27.	confixiſſet	confixiſſet
161. 20.	pro	præ
164. 24.	exigis	erigis
165. 6.	& ab	aut
166. 21.	nullibi	nullibi eas
169. ult.	luculenta	lutulenta
170. 9.	regere	regerere
172. 9.	hoc	hæc
12.	divendere .	divendere?
174. 12.	fit	ſit
22.	Depoſituum	Depoſitum
176. 24.	variæ	vanæ

	ERRORES	CORRIGE
178. 15.	ollingano	Pollingano
180. 15.	Editum	Edictum
182. 10.	capere	carpere
17.	*tui , Pater*	*mi Pater*
18	potentiam ?	potentiam !
184. 17.	Næc	Næ
18.	Quin heinc ?	Quid hinc ?
21.	probatur	probantur
186. 23.	mutatum	mutatam
24.	Belluacenſis	Bellovacenſis
28	eadem	eamdem
35.	Divina	Divini
188. 22.	evidendi	evidenti
190. 21.	mutatione	mutuatione
192. 15.	gratuitum ...	gratuitam ...
	gratuitam	gratuitum
193. 18.	rationem	rationum
196. 16.	*obtruebant*	*obruebant*
29.	*pretiis*	*pretii*
200. 14	exigi	exigere
20.	duodecima, quia ex	duodecim , aut
38.	piorum	priorum .

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Concina, Daniele,

Danielis Concina In Epistolam encyclicam Benedicti XIV. adversus usuram Commentarius

Roma 1746

4 Polem. 736
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10688672-5